L. eleg. g. 205 d-1
Institutiones

BIBLIOTHECA
REGIA
MONACENSIS.

<36630265390019
<36630265390019
Bayer. Staatsbibliothek

INSTITUTIONES
AD
ELOQUENTIAM.

PARS PRIOR
INSTITUTIONES ORATORIAS
COMPLECTENS
AD USUM
SCHOLARUM AUSTRIACARUM.

venalis est 27½ *Crucif.*



VINDOBONAE,
TYPIS JOAN. THOMÆ NOB. DE TRATTNERN,
CAES. REG. AULAE TYPOGR. ET BIBLIOP.

MDCCXCII.

Bayerische
Staatsbibliothek
München

INSTITVTIONES AD ELOQVENTIAM.

PARS I.

QVAE INSTITVTIONES ORATORIAS COMPLECTITVR.

TRACTATIO DE PROLEGOMENIS.

Accedens ad artem oratoriam ante omnia generalibus iis notionibus instituendus est, quae limina quasi quaedam & vestibula sunt artis, & per quae omnem accedentem ad ipsa artis adyta transire oportet. Redigemus rem totam hanc ad paucissima capita.

§. I.

De Oratoria uniuerſe.

a. Oratoria eſt ars docens eloquentiae comparandae rationem, ſeu ut communiter definitur, eſt ars & diſciplina bene dicendi; eius definitionis vocem fortaſſis nonnihil ambiguam *bene dicendi* Quintilian. l. 2. c. 16. interpretatur ſic: ut bene dicere idem ſit ac ornate, graviter ac copioſe loqui; & oratoria proinde diſciplina docens ornate, graviter copioſe loqui.

Annot. Concludit equidem eloquentia & Oratoriam & Poëticam; ſed quoniam prior natura, magisque in uſu vitae humanae poſita ſpecies eſt Oratoria ſeu eloquentia ſoluta, iſtam eloquentiae nomine hoc loco continenter intelligimus.

b. Eloquentia igitur, ad quam ars oratoria inſtituit, eſt facultas copioſe, perſpicue, ornateque dicendi: & qui ſic dicere noverit, Eloquens ſeu Orator vocabitur.

1. *Annot.* Graeci Oratoriam vocant Rhetoricam, & Oratorem Rhetorem; derivantur enim hae illorum denominationes a graeco verbo ῥέω; quod dico, vel loquor interpretamur, & ſunt hae ſignificationes prorſus aequipollentes.

2. Malunt tamen nonnulli Rhetorem appellare, qui praecepta eloquentiae novit traditque, oratorem autem, qui iisdem utitur; diſtinctione juſto ſubtiliori: cum neque uſurus ſit recte praeceptis Oratoriae, niſi qui artem norit; & docturus omnino miſere, qui ad uſum praecepta traducere ignoraverit.

verit. Unde ipſe Cicero librum, quo eloquentiae rationes docet, de Oratore inſcripſit.

c. Eſt autem ars oratoria ex diligentibus naturalis eloquentiae obſervationibus orta; ſiquidem diſcrimen primo aliorum bene, aliorum vero male & inepte diſcentium notandum eſt; tum ubi cultura acceſſit, ex notationibus hujusmodi conſtantibus praecepta certa collecta ſunt, quorum complexus artem conſtituit. Itaque ars quidem ex eloquentia naturali; ex arte autem deinde eloquentia artificialis extitit.

d. Finis, quem omnis orator praefixum ſibi in mente gerere debet, eſt: perſuadere dictione, hoc eſt: diſerta oratione quempiam impellere ad aliquid credendum, agendum, omittendum.

e. Officium autem oratoris ajunt eſſe: appoſite ad perſuadendum dicere, id quod fit docendo, delectando, & movendo. Docebit autem orator argumentis & argumentationibus, delectabit, ſi ornato, illuſtri, & apto dicendi genere uſus fuerit, & movebit amplificatione, affectibusque opportune adhibitis.

Annot. Haec ſi praeſtat orator, & officio ſuo egregie defunctus eſt, & finem etiam propoſitum, quem internum vocant, & qui ab officio vix diverſus eſt, obtinuit, quamquam alter externus, id eſt, ipſa auditoris perſuaſio, non ſemper conſequatur, quarumcunque demum circumſtantiarum vitio,

f. Tractationis oratoriae materia est juxta Aristotelem quaelibet quaestio ad dicendum proposita. De qualibet enim proposita quaestione ornate, graviter, copioseque disseri potest. Solet autem omnis & cujuscunque artis materia dici id, circa quod ars occupatur. Sic medicina morbis & vulneribus curandis occupatur, quae propterea artis medicae materia reputantur.

g. Duorum vero generum sunt quaestiones, quae oratori ad dicendum proponi possunt; nimirum aliae infinitae, quae nullis loci, temporis, aut personae circumstantiis definiuntur aut circumscribuntur, vocanturque *Theses*; aliae autem finitae, quae certis adjunctis rei, loci, personae &c. vestitae jam & constrictae sunt, quae *Hypotheses* vel *Caussae*, vel etiam *Controversiae* appellari solent.

1. *Annot.* Sic e. g. nudae hae propositiones: *pax est facienda*, *bellum est suscipiendum*, *peregrinationes in exteras provincias sunt instituendae* &c. infinitae sunt, seu *theses*, sunt enim ab omnibus omnino adiunctis expoliatae; contra *hypotheses* vocabuntur, ubi primum circumstantiis suis convestitae fuerint eaedem hae propositiones, e. g. *Pax ab Anglis facienda est cum Americanis, conditionibus, quas hi juste desiderant, aliquibus addictis, aliquibus negatis.* — *Bellum ab Hispanis contra Algurienses pyratas nunc praesertim, cum oris prope omnibus Christianis insultant, suscipiendum est* — *Peregrinationes in exteras provincias non nisi matura aetate, animo scientiis instructo & virtutibus confirmato instituendae sunt.*

2. Fa-

2. Facile hinc liquet vis illius eunnciati, quod passim occurrit apud oratores nempe *hypothesim revorare ad thesim*, quod idem omnino est, ac propositionem aliquam finitam seu particularem circumstantiis suis, quibus circumdata est, expoliare, & ita ad infinitam seu generalem reducere, id quod usu admodum frequenti obtinet, & saepissime necessarium est.

3. Hodierno usu quaestiones de quibus orator agere constituit, fere propositiones nominantur.

h. Cujuscunque demum generis propositiones sint, bifariam considerari possunt, & ab Oratore diligenter debent, nempe: an principales sint, an vero incidentes?

1. Est autem *proposito principalis*, quae a Cicerone vocatur *Crinomenon*, illud, quod praecipue & unice in oratione attendendum est, & ad quod probandum omnibus rationibus unice perpetuoque incumbendum est Oratori.

2. *Propositio incidens* autem ea est, quae propter aliud, nempe propositionem principalem remotius arcessitur, & tractanda assumitur, adeoque ad illam etiam dirigenda est.

Annot. Exemplum habes in propositione e. g. *Iudices venales graviter puniendi sunt.* Ad hanc probandam plures aliae assumuntur, e. g. *Iudices venales justitiam gravissime violant; Iudices venales infames sunt; Iudices venales cives fortunis spoliant, ac propterea habendi sunt fures & latrones publici; Iudices venales ingens damnum & de-*

& dedecus reipublicae adferunt; Iudices venales Deum juxta & Principem graviſſime offendunt, quorum munere funguntur & abutuntur &c. Omnes hae propoſitiones ad primam ordinantur, propter illam enim aſſumtae ſunt, ac proinde illa prima propoſitio eſt Crinomenon. Poſſunt fortaſſis acceſſi adhuc aliae propoſitiones ad ſtabiliendam primam. e. g. *Regna ſtant juſtitia; Principum munus primum eſt juſtitiam ſubditis adminiſtrare &c.* Sed hae erunt incidentes, paucis expediendae, & continuo ad venales judices revertendum eſt.

b. Majorem in modum juvenibus inculcanda eſt haec doctrina de attendendo Crinomeno, eoque tanquam ad ſcopum conferendis omnibus viribus, de abſolvendis autem leviori brachio propoſitionibus incidentibus; quoniam juventuti fere familiare eſt extra oleas vagari; quod tamen a pueris jam dediſcere magnopere intereſt.

i. Spectatis variis finibus, quos Oratores ſibi praefigere poſſunt, in principalibus hujusmodi propoſitionibus, praeceptores tres ſupremas claſſes conſtituerunt, ad quarum aliquam revocaretur, & ex cujus propriis fontibus repeteretur, quidquid Oratori elucubrandum occurreret. Sunt hae ſupremae claſſes, alias etiam cauſſarum genera dictae: *Genus demonſtrativum, genus deliberativum, & genus judiciale.*

1. *Genus demonſtrativum* (dictum aliter *exornativum* aut etiam *apodicticum*) complectitur eas omnes propoſitiones, quae ad laudem vel vituperationem quoquo modo pertinent, aut referuntur. Itaque hujus cenſus erunt omnes pro-

propoſitiones *gratulatoriae*, *ſalutatoriae, gratiarum actoriae, panegyricae, funebres &c.* Solet vero in hoc genere praeſertim *honeſtas* aut *turpitudo* prae oculis haberi ab Oratore.

2. *Genus deliberativum* comprehendit, quidquid ſuaderi vel diſſuaderi poteſt, ac proinde *utilitas* vel *detrimentum* dicentibus praecipue propoſita eſſe debent. Adjunguntur autem huic claſſi merito ſuo omnes *hortatoriae*, *commendatoriae*, *petitoriae & conſolatoriae* propoſitiones.

3. *Genus judiciale* verſatur in accuſando vel defendendo, totumque fere *poenas* aut *impunitatem* reſpicit.

Annot. Poſtquam eloquentia ex foro judiciisque hodie ad ſcholas fere rejecta eſt, nonnulli recentiores artis magiſtri hanc veterum partitionem quoque rejiciendam judicarunt, moliti duo orationum genera in priorum trium cauſſarum locum ſubſtituere & accommodare, videlicet *Declamationes & Panegyricas*. Verum cum omnis Veterum Rhetorica triplici hoc cauſſarum genere nitatur, & ne declamatio quidem aliqua aut Panegyrica ſit, quae non commodiſſime ad unum aliquod cauſſarum illarum genus reducatur, rectius a praeceptorum veterum ſententia ſtabimus.

k. Quocumque demum horum in genere verſari oportebit, ſemper & ubique oratori accuratiſſime curandum erit: ut primum quidem circumſpiciat, quae ad ſtabiliendam propoſitionem

ſuam valebunt; deinde, ut, quae repererit, in eum redigat ordinem, qui firmitati pulchritudinique orationis ſuſceptae erit convenientiſſimus; tandem ut repertis ordinatisque rebus eloquentiam opportunam adhibeat; poſtremo ut maxima vi, efficacitate & gratia ad auditores pronunciet, quod elucubratus eſt. Haec conſtans & invariabilis eſt ſumma curarum Oratoris; ac propterea recte totius artis Rhetoricae ſeu Oratoriae quatuor partes primariae recenſentur: *Inventio*, *Diſpoſitio*, *Elocutio & Pronunciatio*, ſecundum quas infra omnem hujus artis doctrinam in quatuor item partes diſpeſcemus.

I. Aſſignant praeceptores paſſim ad obeunda rite haec munera, quae mox commemoravimus, quatuor potiſſimum Rhetoricae ſubſidia: *Naturam*, *artem*, *Exercitationem*, & *imitationem*, quibus quisque egregie inſtructus ſit, eum ad ſolidam eloquentiae gloriam conatu non ancipiti contendere poſſe.

1. *Natura* quidem, ut jam ſupra indicavimus, totius oratoriae artis fundamentum & baſis eſt, ac propterea fons quidam eloquentiae juſtius appellabitur, quam ſubſidium; quoniam non juvat tantum aut promovet, ſed gignit & profundit ex ſe eloquentiam, ad eamque confert.

a. Ex parte animi, quae quidem vix ulla alia via comparari aut ſarciri queunt, prom-

promtos acutosque in excogitando motus, uberes vividasque imagines, memoriam firmam ac diuturnam, judicium acre non minus quam defoecatum.

b. Ex parte corporis autem praeſtat haec eadem natura Oratori pronunciaturo latera firma, canoram vocem, ſolutam linguam, aptam oris & totius corporis conformationem &c.

2. *Ars* naturae dona excolit, ſuppletque ſaepe, ſicubi quid deficit, reſecat, quod luxuriat & redundat, rectamque ac tutam in viam ex praeruptis utrimque aviis coercet eloquentiam.

3. *Exercitatio*, quae nobis hic aſſiduus uſus & conſuetudo dicendi vel ſcribendi eſt, conſeruat, firmat ac roborat, quae arte magiſtra hauſimus: quod adeo verum eſt, ut vel corporis vitia diligenti exercitatione correcta fuiſſe notatum ſaepe ſit, quemadmodum in Demoſthene, qui ſola & indefeſſa exercitatione tantillo artis in ſubſidium advocato & balbutiem & vocis exilitatem depoſuiſſe legitur.

4. *Imitatio* facit, ut ſumma eloquentiae exemplaria tamquam ſpeculum ob oculos nobis ponamus, id quod idendidem intuiti noſtra facilius feliciusque ad ſincerae artis regulas conformemus.

§. II.

De Imitatione.

a. Imitatio recte definitur: *facultas alicujus auctoris ſtilum ejusque ideam ſine plagii ſuſpicione exprimendi.*

1. *Annot.* Omnes pene vitae humanae actiones imitatione continentur, & vel imprudentes imitando diſcimus omnia: incedere, loqui, edere, geſtus, vultum, vocem, mores &c. Cur non ſtudioſa & conſilio ſuſcepta imitatione nos profecturos itidem ſperemus in litteris, de qua imitatione hic unice ſermo eſt, praeſertim experientiis confirmati? Nec certe video, quid multiplex auctorum claſſicorum lectio tantopere commendata prodeſſe poſſit, vel debeat, ſi immitandi ſtudium & deſiderium vel tollimus, vel ſaltem negligimus.

2. Diligenter in definitione imitationis animadvertamus, ſtilum exprimendum eſſe auctoris, quem imitamur, & ideam, ſed ſine plagii ſuſpicione, id eſt, orationis habitum exprimere oportebit, non phraſes aut verba ſola exſcribere, nec integras fortaſſe auctorum periodos mutuatas noſtris tanquam proprias intertexere, quod furtum litterarium verius quam imitatio cenſendum eſſet.

b. Duplex autem imitationis ſpecies traditur, quarum una puerilis, altera virilis & maſcula dicitur. Sola prope nomenclatio vim & fines utriusque denotat.

1. *Imitatio* puerilis fere verborum elegantiae, phraſes, ſententias, & leviora orationis lumina aucupatur, idque tribus praecipue modis praeſtat:

a. Vel

a. Vel enim verba elegantiora & phrafes ab auctore fuo mutuatur, eaque ornamenta ad proferenda & explicanda cogitata fua transfert. Qui modus imitandi omnium facillimus eft.

b. Aut fententiam quamdam aliis aliisque verbis & phrafibus exprimit, de quo tantifper difficiliori modo adolefcentes jam tum monuimus, cum de copia verborum in claffe inferiori egimus.

Annot. Malunt aliqui hunc imitandi modum variationem potius quam imitationem vocare; fed quoniam ad exemplar fit, imitatio dicenda erit. Efto Exemplum propofitio: *Pulchrum eft laudari a laudato viro* quod Hector ait apud Naevium; imitaberis fententiam hanc, fi dixeris: *Laudari ab iis, qui ipfi funt laude digniffimi, is vero fructus laudandarum actionum videtur pulcherrimus.* Vel etiamfi hoc modo efferas: *Pulchrum eft reprehendi ab eo, quem omnes vituperant.*

c. Vel tandem fententia eadem additis aut detractis nunnullis vocibus vel circumftantiis conftringitur, extenditur, vel refingitur: quae ratio adhuc quidem puerilis, fed tamen paullo eft artificiofior.

1. *Annot.* Sit exemplum imitationis hujus generis propofitio: *Omnibus poteft evenire, quod uni; dubitas, quin aliis etiam poffit.* Quam non nemo ita imitatus eft: *Quum & naturam habeamus eamdem, & iisdem calamitatum opportunitatibus vita noftra fit expofita, neque quifquam ad id faftigium pervenerit, quo fortunae tela aut hominum injuriae,*

non

non possunt pervenire; quid est quod ita vivimus, quasi privilegio quodam ab his liberi simus, quae ad omnes pertinent?

2. Cavendum est tamen magnopere, ne sententiae assumtae acumen aut elegantia pereat. sunt enim saepe optimorum auctorum sententiae admodum praessae & rotundae, atque inde periculo aberrationis istius facile obnoxiae.

2. *Imitatio* virilis, etiam mascula dicta, auctoris propositi virtutes eminentiores, nervos & masculum robur imitando exprimere docet. Fiunt autem virtutes istae conspicuae vel in rerum inventione, in delectarum rerum dispositione, vel denique in earumdem illustri elocutione.

a. Itaque *Inventionem* quidem auctoris propositi imitari dicemur 1. si illius argumenta & cogitatus excellentes ad stabiliendum thema nostrum transferimus; 2. vel si affectuum excitandorum eamdem rationem inimus, quod Patheticum orationis vocant; vel denique 3. si mores, quibus auctor orationem suam distinxit, quod Ethicum orationis appellamus, themati nostro adsciscimus, aliam tamen semper ab auctore elocutionem consectati.

Annot. Exempla aliquot petita e Plinio fortassis per omnia tria membra hoc imitationis genus declarabunt.

1. Confirmatis (epist. Lib. I. 10.) laudem Euphratis Philosophi Stoici inter plura alia his argumentis: a. Obvius, & expolitus, plenusque

que humanitatis eſt, b. In diſputando gravis, ſubtilis, ornatus, ac pene Platonicus. c. In ſermone copioſus, varius, dulcis, & qui etiam repugnantes trahat. d. Venerationem illi circumdat proceritas corporis, decora facies, demiſſus capillus, cana barba. e. Multa quidem ſeveritas, ſed nullus omnino horror eſt in toto cultu. f. Vitae ſanctitas cum comitate conjuncta eſt &c. Haec aut horum aliqua, ſi tu, perſonas & argumentum accurate intuitus, in laudationem quamdam tuam transtuleris, Plinii inventionem in laudando imitatus merito cenſebere.

2. Idem Plinius (epiſt. L. III. 1.) Caninium Rufum amore ſtudiorum inflammaturus mirifice primum extollit praedia illius, tum infert recte his utendum. Rectum porro uſum non in curanda re familiari praedii hujus conſiſtere, quod ad alium dominum ſerius aut citius tranſiturum eſſet, ſed potius in eo, ut praedium hujusmodi ſit portus pulcherrimorum ſtudiorum; ex quo gloria nunquam interitura ad illum eſſet reditura. Imitationis Plinium egregie, ſi hoc illius Pathos ad aliquod thema tuum applicaveris, e. g. laudaturus amici opulentiam, non quod acervos congregare, ſed quod plurimis indigentibus ſuccurrere, miſeroſque ex calamitate ad felicitatem ac laetitiam vindicare poſſit.

3. Rurſum Plinius (epiſt. L. I. II.) objurgat Fabium Iuſtum de infrequentia litterarum, petitque, ut vel ſolum hoc ſcribat: *Si vales, bene eſt, ego valeo;* ſe id ſine ſumma ſollicitudine neſcire non poſſe &c. Quam eleganter & morate in ſimili aliquo themate tuo argumento iſto Plinii aut ſimili ethico uteris.

b. *Di-*

b. *Dispositionem* imitari jure censebimur, sive 1. generalem illam totius orationis, sive 2. aliquam singularium tantum argumentorum coordinationem ad rem nostram accomodabimus.

Annot. En exemplis illustratam utramque dispositionis imitationem:

1. Cum Cicero pro Leg. Manil. Pompejum M. Imperatorem summum esse ex quatuor praerogativis ostendat: scientia rei militaris, virtute, auctoritate & felicitate; mascula erit Dispositionis imitatio, si quemdam administrum reipublicae celebraturus orationem laudatoriam e. g. in quatuor, sequentia partieris capita: esse in viro eo I. digestam profundamque Politices sane cognitionem. 2. Vigilantiam pro salute publica indefessam. 3. Exterorum omnium raram existimationem. 4. Consiliorum ab eo susceptorum eventus semper optatos fuisse. Eris hoc modo Ciceronem equidem imitatus, sed plane plagium non fecisti.
2. Rursus cum Cicero partitionis suae mox indicatae membrum tertium demonstrare aggreditur de Imperatoris auctoritate, in hunc syllogismum concludit argumentum suum:

Major: Quicumque maxima pollet auctoritate; is Imperator optimus est.

Ratio: Homines enim ut contemnant aut metuant, aut oderint aut ament, opinione non minus famae, quam ratione commoventur.

Minor: Pompejus maxima pollet auctoritate.

Rationes: 1. Populus romanus praeclara de eo judicia tulit.

2. Pompejus rempublicam servavit sola fama ac celebritate nominis.

Plures gentes ei se dediderunt.

Con-

Conclusio: Ergo Pompejus erit Imperator optimus. Imitationem dispositionis istius Heineccius, ad extollendam Eugenii Sabaudici prudentiam bellicam hoc modo traduxit:

Major: Quicunque prudentissimus est, is optimus erit Imperator.

Ratio: Plura enim saepe prudentia quam manu in bello geruntur.

Minor: Eugenius Dux Sabaudiae est prudentissimus.

Rationes: I. ejus prudentiam tres Imperatores probarunt.

2. Prudentiam multis variisque bellis feliciter administratis sibi peperit.

3. Ubique ejus eluxit prudentia.

Conclusio: Ergo Eugenius est Imperator optimus.

c. *Elocutionem* demum alicujus auctoris tum viriliter & decore imitabimur, quoties illius characterem, acumina, figuras ac periodos effingere conabimur.

1. *Annot.* Erit igitur acriter dispiciendum non solum, sublimisne sit character auctoris, quem imitandum sumis, an tenuis; sed etiam in quo sublimitatis ratio apud eum sita sit? sine qua dispicientia imitatio impossibilis omnino erit. Acumen non quovis loco, sed suo tantum adhibitum delectabit; non passim collocatio auctoris tui suavitatem eamdem retinebit, neque omnes periodi promiscue aures demulcebunt.

2. Verum intueamur rem hanc in uno alterove exemplo. Acute lepideque Martialis (Epigr. L. II. 8) cecinit: *Hostem cum fugeret, se Faunius ipse peremit; hic rogo non furor est, ne moriare, mori?* Dextere acumen istud imitando tuum feceris, si ita e. g. dixeris: *Quis quaeso major unquam furor poterit excogitari, quam Euclio-*

num,

num, qui, ne esuriant aliquando, per omnem vitam esuriunt? Elegantissima est figura correctionis apud Ciceronem Philipp. 12. *Quid enim per Deos immortales potest reipublicae prodesse nostra legatio? prodesse dico? quid si etiam obfutura? obfutura? quid si jam nocuit?* Hanc si ita expresseris loco suo de prava societate adhibitam: *Quidnam quaeso utilitatis adferre tibi potest, illud consortium? utilitatis? quid si damnum etiam adferet? adferet? quin jam attulit &c.* nae cum decore & dignitate imitatus es. De imitatione periodorum sermo recurret alibi.

3. Ad elocutionis imitationem quoque pertinebit, si quod in aliena lingua eminens & extans deprehenderis, sermone casto latino transferas, thematique tuo apte interferas. Itaque non ex graecis tantum, sed ex vernaculo, gallico, aut quocunque sermone convertere ornamenta tibi integrum est. Exemplis plenus est ipse Tullius, qui multa hoc modo ex Demosthene mutuatus est; plenus Virgilius, qui Homerum & Theocritum, Terentius qui Menandrum & Aristophanem; Horatius denique, qui Pindarum & Callimachum plus simplici vice latine loqui faciunt.

d. Vertitur vero tota haec imitandi ars in duobus his praecipuis capitibus decernendis: Quis imitandus proponi? & qua ratione imitatio scienter prudenterque institui debeat?

1. De imitationis exemplari quidem, utcunque eruditorum opinionibus intricatum id fuerit argumentum, sequentia tanquam certiora tenebimus:

a. Exemplum imitandi sumendum esse judicamus, quod in genere suo sit optimum.

I. *An-*

1. *Annot.* Rectiſſime pronunciavit Plinius (epiſt. I. 5.) *Stultiſſimum credo ad imitandum non optima quaeque proponere.* Certe Muſici, Pictores, Architecti ad optima quaeque, non ad trivialia artis concurrunt exemplaria ; Cicero ipſe ingenioſiſſimo adoleſcenti Sulpicio maximum in Oratoria illius temporis lumen Craſſum commendavit ; Quintilianus univerſis ad eloquentiam contendentibus unum & ſolum prope inculcavit Ciceronem notiſſimo illo effato : *Ille ſciat ſe profeciſſe, cui Cicero valde placere coeperit.*

2. Cum optimum imitationi proponimus, nec omnino neminem, nec promiſcue omnes imitandos dicimus, atque ita litem dirimere videmur, qua ſummi aliquando viri commiſſi fuerunt, quorum alii nullum omnino imitandum cenſuerunt, (quod in Caeſare & Cotta admiratus eſt Cicero) ne ignes ſcilicet archetypi, qui maximorum ſemper ingeniorum indices ſunt, ſervili imitatione praefocarentur, quin proprii potius cujusque animorum impetus alerentur & promoverentur : alii contra per omnem auctorum genus apum inſtar nos divagari volunt, optima quaeque & in uſus noſtros maxime profutura deligentes.

b. Optimus vero cenſebitur, qui cujusque ingenio, captui, & viribus erit accommodatiſſimus.

1. *Annot.* Indicium fere minime dubium de auctore, qui nobis convenientiſſimus ſit, feremus ſi, quis maxime nobis placeat, quemque facto ſubinde periculo, facillime imitando exprimamus, ſolerter attendamus.

2. Feruntur quidam ipſo naturae & ingenii ſui impetu ad ubertatem & copiam ; quibus unum commendaverim in omni ſcriptionis genere Ciceronem. Sunt quibus adſtricta & arguta tantum pla-

 cent,

cent, illis Plinius erit proponendus. Simplici quodam ac casto orationis genere delectantur alii; his caesar vel Cornelius Nepos tradatur. Alii gravem tantum & pressam amant orationem, quibus Tacitum permittemus.

3. Viribus autem quid congruat, saepe viri aegre decernunt, nedum adolescentes nostros passim id posse credemus. Quare praeter ea, quae infra de diversa imitandi ratione pro aetatis diversitate statuemus, boni praeceptoris erit videre, quid adolescentis sui valeant humeri, quid ferre recusent, & cavere juxta Quintiliani sapiens monitum (Instit. X. 1.): ne, cui *tenue ingenium erit, sola velit fortia, & abrupta: cui forte quidem, sed indomitum, amore subtilitatis & vim suam perdat, & elegantiam, quam cupit, non adsequatur.* Quin magis sagaciter perscrutatus singula nimirum siccos & prope exsuccos ad Ciceronem deducendos; exsultantibus & luxuriantibus contra Sallustium commendandum curabit; atque ita porro pro re nata deinceps.

c. Sed in optimo etiam non temere universa, sed ut Cicero ipse præcipit (de Orator. l. 2. c. 22.) *tantum quae maxime excellant, in eo, quem imitabitur, ea diligentissime persequatur.*

Annot. Quisquis optimus ille sit, homo nihil minus est, hoc est, vitiis obnoxius, nec per ejus virtutes quam vis illustres, etiam vitia consecrantur. Sic Horatius dormitare nonnunquam ait Homerum, Plautum vero ineptire; Demosthenes non semper implet aures Ciceronis: nec Cicero omni carere naevo visus est auctori Dialogi de caussis corruptae eloquentiae &c. Ad ea, quae adolescenti vel in probatissimis auctoribus fugienda, non imitanda erunt, inter cetera reducen-

centur quoque, quae noſtram ſanctam Religionem, aut mores dedecent, qualia ſunt, cum *Dii immortales* identidem ingeminant, *Iupiter, me Hercule, Medius fidius &c.* Item cum vocibus obſcoenis vel agreſtibus, nunnunquam furioſis utuntur; denique cavebit imitari id, quod Aruntio Seneca exprobrat: (epiſt. 114.) *quae apud Salluſtium raro fuerunt, apud hunc crebra ſunt, & pene continua*; & cum Salluſtius ſemel dixiſſet *hiemavit annus, famas petit*, Aruntius faciebat hiemare omnia, & famas ubique pro famam dicebat.

d. Poſt optimum unum imitationi delectum nihil vetabit, alios quoque auctores adire, (qui modo juſti cenſus ſint) eorumque pervolutatione aut in ſtilo confirmari, ubi cum optimo noſtro conſpirabunt, aut rebus ſaltem inſtrui, ſi loquendi rationibus diſſentire alicubi videbuntur, ita, ut uno dicamus verbo: legendi erunt multi boni, imitandus unus optimus.

Annot. Hoc nimirum tantopere contendit Seneca (epiſt. 85.) cum debere nos apes imitari dixit, quae ex multis herbis floſculisque ſeligunt optima quaeque & affabre componunt, ac in ſuccum convertunt longe dulciſſimum. Neque vero dubitandum eſt, non aliunde extitiſſe Ciceronis tam varium abſolutumque dicendi genus, quo Graeciam ipſam ſuperavit, quam quod, obſervante Quintiliano, (l. 10. c. 1.) Platonis copiam, Iſocratis jucunditatem, vim Demoſthenis in ſe transtuliſſet.

2. Ratio propoſita exemplaria imitandi, ut ſcienter prudenterque inſtituatur, non eadem omnibus praeſcribit; ſed pro aetatis diſcri-

ne varia, per gradus quosdam progreſſa & ſubordinata eſſe debet. Itaque

a. Cum puero primum auctor claſſicus in manus traditur, non certe repetetur ab eo imitatio, niſi puerilis infimi gradus. Verborum elegantium & rariorum obſervatio, phraſium, idiotiſmorum, ſententiolarum notatio & applicatio diligentiam illius tantum occupabunt.

Annot. Unum vel in limine ſtatim defugere moneatur: imitationem videlicet locorum uſu perpetuo valde detritorum, e. g. Praefationis Nepotis: exordii vitae Miltiadis: *quum & nobilitate generis* &c. quod, utcunque in ſe elegans, taedium tamen nauſeamque potius, quam elegantiam conciliat.

b. Fiet ad ulteriores imitationis puerilis ſpecies gradus, pro ratione facti gradus in auctorum lectione, jamque ſententias circumducere, jam contrahere, jam, quod Quintilianus praecipit, numeroſiſſime verſare & velut eadem cera alias atque alias formas ducere doceatur.

c. Cum convaluerit tantiſper in litterario tirocinio adoleſcens, inde ad ſolidiora transeat, imitationique virili pedetentim ſe accingat, ſic tamen, ut ab iis poſtremis facilioribus capitibus, quae ad elocutionis imitationem pertinent, exordium faciat, & tandem lento paſſu ad inventionis diſpoſitionisque imitationem maſculam, quo modo ſupra explicata eſt, perveniat.

d. Ge-

d. Generatim cujuscumque gradus imitatio quatuor maxime neceſſariis adjumentis perficitur: lectione nimirum, meditatione, ſcriptione, & ſcriptorum emendatione.

1. De *Lectione* res ſe ipſa loquitur; qui enim te effingas ad formam, quam non videris? aut quomodo auctorem imitaberis, quem non fortaſſis a limine ſalutaſti, nedum legiſti?

2. *Meditatio* autem eorum, quae legiſti, ad hoc praecipue valere debet, ut intelligas, comprehendas, quae adeo imbibas virtutes eas, quae in exemplari tuo continentur. Hoc eſt, quod Tullius (l. 2. de Orat. c. 21.) Sulpicium tantopere monuit, ut exemplum ſuum *tota mente, atque omni animo intuerentur.*

Annot. Doctoris erit, non ſolum exiſtimationem & amores in exemplar propoſitum apud tirones excitare, ſed etiam ad pulchritudines retegendas praeire, & latentia ornamenta intento digito commonſtrare.

3. *Scriptio* eſt uſus eorum, quae in lectione meditationeque pulchra & opportuna deprehendimus; neque vero haec altius animo infiguntur, quam ſi uſus frequens accedat. Unde veriſſime affirmat Tullius (l. 1. de Orat. c. 33.): *Stilus eſt optimus & praeſtantiſſimus dicendi effector ac magiſter.*

 An-

Annot. Quamquam veriſſimum ſit, quod idem Cicero monet: res meliores plerumque non occurrere niſi *acquirentibus nobis omnique acie ingenii contemplantibus*, neque proinde celerius aut praecipitantius ſcribendum eſſe, tamen maximis etiam exemplis Virgilii & aliorum novimus in animi fervore feliciter ſaepe effundi plurima, quae remittente deinde nonnihil impetu caſtigata ſumma ſunt. Ingenium proinde ac indoles iſthic ſollicite attendenda erunt.

4. *Emendatio*, quae una omnium maxime neceſſaria eſt. Sive enim igneis ſpiritibus ad ſcribendum acceſſeris, ſive tranquillis, ſemper poſterioribus curis deprehendes plurima, quae ad limam revocanda & caſtiganda ſint. Id modo ſedulo caveat praeceptor, ut non vitia ſolum indicet, quae caſtigatione egeant, ſed rationes etiam reddere meminerit, ob quas haec aut illa in vitiis ſint numeranda. Ceterum aetati viribusque diſcipulorum attemperandam eſſe cenſuram, non ad vivum reſecanda omnia, nec deterrendos adeo potius intempeſtiva ſeveritate, quam emendandos juvenes, ne monemus quidem.

e. Maſcula imitatio in ſpecie duabus partibus comprehenditur, Analyſi quidem & Geneſi.

1. *Analyſis* (Reſolutionis) officium erit, loca aut periodos alicujus auctoris imitationi praepoſitas maſcula ratione in ſua membra partiri, partium hujusmodi ideas

&

& cogitatus diſſecare, examinare, orationis ipſius habitum, quo enunciatum eſt, inſpicere, nexus partium & coagmentationem curate expendere, poſtremo etiam elegantiarum & figurarum lumina non praeterire.

2. *Geneſis* continuo ſequitur reſolutionem ſuſceptam; neque vero ob aliam rationem operoſe facta eſt Analyſis. Cum enim decora orationis in priore conatus parte reperta ſint; nunc ea ad rem propriam transferenda erunt. Quare ordine eodem aut ſaltem ſimili diſponendum erit thema noſtrum, partes totidem inveniendae & aſſumendae, cogitationes appropinquandae, orationis habitus quam ſimillimus deligendus, connectendi rationes, elegantiæ, figurae eaedem aut fere eaedem adhibendae. Haec ſi praeſtas, & ſi artem quoque, qua haec praeſtita ſunt, occuluiſti, abſolutam numeris ſuis orationem elaboraſti.

Annot. Certus ſit quiscunque praeceptor, ſe aenigmata diſcipulis locuturum, niſi, quidquid praeceptionum eſt, de hoc praeſertim genere, continuo exemplis confirmaverit, & oculis plane ſubjecerit. Cujus quidem deinceps occaſio undique per decurſum oratoriarum exercitationum praeceptori juvenilis profectus curioſo obvia erit.

INSTITUTIONVM ORATORIARVM

PARS I.

DE ELOCUTIONE.

a. Elocutio definitur a Tullio: *Idoneorum verborum & ſententiarum ad res inventas accommadatio.*

Annot. Haec ipſa definitio oſtendit naturali ordine inter partes eloquentiae Elocutionem primam non eſſe, ſed inventionem. Quid enim eloquar; niſi rem inventione praeparatam, diſpoſitione autem ordinatam habeam? Sed quoniam adoleſcentibus, quibus haec eloquentiae praecepta traduntur, inventio fere pars ceterarum difficilior eſt, ob eamque rem praeceptores argumenta inventa & diſpoſita efferre ſolent, ab Elocutionis praeceptionibus exemplo multorum magni nominis praeceptorum ordimur, a facilioribus pedetentim ad difficiliora progredientes.

b. Quoniam a ſimplici illo latini ſermonis ornatu, quem alias in puritate, elegantiis nonnullis, & verborum copia quaeſivimus, eloquen-

tiae

tiae ornatus omnino distinctus esse debet, diversitas haec inde potissimum repetenda erit, quod Elocutio suavitatem & ornatum luculentiorem orationi addat, quae deinde sic exculta & rebus inventis accommodata, non jam oratio solum, sed eloquens oratio dici merebitur.

c. Quare ad suavitatem & ornatum tota elocutionis vis revocatur; quarum prior tantum ex oratione numerosa oritur, posterior autem ex tropis & figuris exurgere debet. De his nunc ordine agendum.

CAPVT I.

De numero oratorio.

a. Numerus oratorius definitur: *modus quidam orationis, qui ex apto syllabarum pedumque ordine nascitur, facitque, ut jucunda ad aures accidat oratio.*

Annot. Thrasymachus, Gorgias, & ante alios Isocrates oratores graeci vel invenerunt vel expoliverunt numerum oratorium, imitati nimirum Poëtas, quorum orationem numeris adstrictam incredibili suavitate in animum influere animadvertant, Itaque moderati hunc numerum, non qui-

quidem illum verſibus illigatum, ſed liberiorem qualis orationem ſolutam decertet, orationibus ſuis intulerunt. Ad Latinos numerum ex Graecia transtulit Cicero, eumque ad faſtigium perfectionis ſuae perduxit.

b. poteſt vero bifariam conſiderari numerus, nempe qui in verbis ſingularibus aut etiam junctis; & qui in totis ſententiis adhibetur.

§. I.

De numero oratorio in verbis.

Numerus oratorius in verbis ad haec reducitur capita: ad *delectum*, *ordinem*, & *juncturam* verborum.

1. De verborum delectu prolixe jam in Syntaxi praeceptum eſt, ubi quae fugienda, quaeve ſuſcipienda ſint, accurate notavimus. Itaque expeditis jam alibi abjectis, obſoletis, novis, duris, peregrinis, poëticis verbis, duo duntaxat genera hic ſuperſunt, quorum oratorem rationem habere oportet: ſcilicet verba *ſonantiora* & *grandiora*.

a. *Verba ſonantiora* ſunt:

I. Quae ex vocalibus & conſonantibus magis ſonoris compoſita ſunt, & ſonum proinde habent pleniorem, fortiorem, aut pro re nata ſuaviorem. Sic. e. g. plenius graviusque ſonant: *immanis* quam *magnus*; *perhorreſcere* quam *horrere*: *procreare* quam *gignere*:

nere: *honorare* quam *colere*; *concertare* quam *confligere*. Plenius item: *indagavi*, *mirabiles*, *accuratus*, *tempeſtate*, *monimentum*, *detrimentum*; quam illae alterae ex ſe alioquin cum prioribus ſynonymae: *inquiſivi*, *miri*, *diligens*, *tempore*, *ſepulchrum*: *damnum*. *&c.*

2. Sonantiora fere ſunt profecta ex verbis, quae verbalia appellant, ut: *Animi dominatrix cupiditas*: *voluptas imitatrix boni*; *virtutum indagatrix Philoſophia*; *cuſtosne urbis an direptor vel vexator Antonius?*

Annot. Ex nonnullorum obſervationibus vocales A. E. O. ſunt reliquis magis ſonorae; conſonantes vero ſoni melioris ſunt: L. P. T. fortioris autem licet non ſuavioris; G. Q. R. S. X. Sed haec fortaſſe nimium minuta.

b. *Verba grandiora* dicuntur ea,

1. Quae ſignificatione praeſtant, magisque exprimunt rem ſignificatam. Sic longe ſignificantius, ac proinde grandius, ſi res id ferat, vocabis: *latronem*, *raptorem*, *flagitioſum*, *truculentum*, *perditum &c.* remiſsius vero ſignificabunt, ſi ad idem denominandum adhibeas verba: *praedonem*, *furem*, *improbum*, *ſaevum*, *malum &c.* grandius item: *contrucidare* quam *occidere*, *exterminare* quam *ejicere &c.*

2. Eo-

2. Eodem modo ſignificatum extollunt verba ſuperlativa : Conſpectus veſter multo *jucundiſſimus*, locus ad agendum *ampliſsimus*, ad dicendum *ornatiſſimus*. Qui ſe lelegatum Imperatoribus *clariſſimis*, exercitibus *ornatiſſimis*, provinciis *graviſſimis*, dignum ſuis majoribus praeſtitit.

3. Granditatem conciliant epitheta praecellentiam quamdam exprimentia, cujusmodi ſunt: *Admirabili* quadam laude Provinciae praefuit. *Incredibilis* quaedam ingenii magnitudo. Habuit *divinam* quamdam memoriam. Induſtria *ſingularis* atque *inaudita*, Domuiſti gentes immanitate barbaras, multitudine *innumerabiles*, locis *infinitas* &c.

a. *Annot.* Diligenter vero iſthic cavendum, ne dum ſonantia & grandia conſectamur, in tumorem incidamus, mereamurque cenſuram Horatii : *Projicit ampullas & ſesquipedalia verba.*

b. Putant nonnulli cum laude ſe facere, ſi voces compoſitas efferant integris manentibus praepoſitionibus. Itaque malunt *adficio*, *adlatro*, *tranſno*, *inluſtris*, *conlegium* &c. ſcribere & enunciare, quam *afficio*, *allatro*, *trano*, *illuſtris*, *collegium*, quod etſi non nunquam in laude ponatur, dignitatemque ex antiquitate conciliare videatur; tamen ſi fiat frequentius, ipſorummet antiquorum judicio non probatur, qui ad mitigandam aſperitatem vocum conſonantes praepoſitionum aliquando transmutandas cenſuerunt.

2. De

2. De ordine verborum pariter alias jam tractatum est, hic paucula solum in rem praesentem supplementa adjungimus.

a. In verborum collocatione curandum est, ut ea praeponantur, quae natura aut dignitate praecedunt. Sic *viros & foeminas* rectius dices, quam foeminas & viros: *ortum & occasum*, diem ac noctem, non contra. Tale est etiam: *Vocavit ad coenam Consules & Quaestores*; non Quaestores & Consules. Tale item: *Obstupescent posteri imperia, pugnas, triumphos*, non contra triumphos &c. Denique tale est tritum illud apud Ciceronem: *Pompejus bellum extrema hieme apparavit, ineunte vere suscepit, media aestate confecit &c.*

b. Partes toti praeponendae sunt, ut: *Tu istis faucibus, istis lateribus, ista gladiatoria totius corporis firmitate tantum vini exhauseras ut &c.* Idem: *constituenda tibi judicia, revocanda fides, comprimendae libidines, propaganda soboles, omnia, quae dilapsa jam fluxerunt, severis legibus vincienda sunt &c.*

c. Leviora praemittenda, graviora vero subjungenda sunt, ut nimirum crescat oratio, quod in amplificatione fieri necesse est; quemadmodum contra in extenuatione graviora primum, leviora postremum locum te-

tenebunt. Vide utriusque exemplum; primi: *Facinus eſt vincire civem romanum, ſcelus verberare, parricidium necare, quid autem in crucem agere?* Alterius autem: *Diſciplina haec in rebus parvis, in ſyllabis, prope in ſingulis litteris, atque interpunctionibus verborum occupata eſt.*

Annot. Si in extenuatione animus & intentio dicentis accurate examinetur, etiam hic oratio reipſa creſcere deprehendetur.

d. Quoniam in verbis praeſertim, totius ſermonis vim ineſſe recte judicatum eſt, niſi ratio aliqua obſtet, ſenſus verbo aliquo concludendus eſt. Cic. in Verr. *M. Cato ſapiens, cellam penuariam reipublicae noſtrae, nutricem plebis romanae Siciliam* nominavit.

Annot. Eadem tamen etiam ratione Cicero dixit; *Quum omnium provinciarum rationem habere diligenter debetis; tum praecipue Siciliae plurimis juſtiſſimisque de* cauſſis. Nempe non ſolum ut voce *cauſſis* via ac tranſitus facilius ſterneretur ad cauſſas eas enumerandas.

3. Junctura verborum ſingulorum hoc modo curata, ut ne aſpere concurrant, vel duriorem quoquo modo reddant pronunciationem, non minimum elegantis numeri oratorii eſt adjumentum. Ad hoc obtinendum

a. Vitandus circumſpecte quiscunque demum aſper conſonantium concurſus v. g. *Celer rivus, decimum miliare, ſtans ſcripſit.*

b. Concurſus item vocalium earundem, unde hians fit oratio, tum iteratio etiam ſyllabae

in

in fine praecedentis ac principio ſequentis dictionis, v. g. *Homo officioſus. Ea aſſignat. Arma allata. Ii igitur.* Et iterum: *Fama malum; coeca caligo, homo modeſtus, per perditos &c.*

c. Similiter deſinentium frequentatio ingratum neſcio quid auribus habet, propterea ab ea ſollicite abſtinendum; ut: *O fortunatam natam me conſule Romam. Noxiae adjutrices, verae praeſtigiatrices & inſidiatrices. Res mihi inviſae ſunt &c.*

d. Repetitio crebrior ejusdem litterae, vel pejus adhuc ejusdem ſyllabae ſive initio ſive in fine poſitae ſolerter eſt fugienda. Exemplo ſit illud Ennii: *Africa terribili tremit horrida terra tumultu*, in quo obſerva, litteras T. & R. juſto crebrius, ac proinde aſperius poſitas eſſe. Idem obſerva in ſyllabis, e. g. *Exinde exivit. Statuam ſtatuerunt: &c.*

Annot. Huc tamen non pertinent nonnulla, quae ab optimis auctoribus elegantiae cauſa adhibita fuerunt: *Bellum aliud ex alio ſeritur. Homo homini lupus. Omnes omnium ordinum gentiumque confluxerunt.*

e. Plura monoſyllaba coacervata certiſſime hiulcam orationem reddunt, e. g. *Quae quid non in te ſunt effectura? hac in re me non juvat.*

Annot. Plerisque hujus generis vitiis occuretur, ſi vel 1. voces transponantur, ut ſi dices *per homines perditos. Miliare decimum, Rivus celer*; vel 2. aliis vocibus interpolentur, e. g. *homo perquam officioſus, viro, ſi quisquam, opti-*

optimo; vel 3. flexione aliqua casus, temporis, numeri commutentur, ut *obedi virorum optimo*: vel denique 4. voces aliae minus concursu asperae substituantur, e. g. *Inde* vel *tum exivit decretum* &c.

§. II.

De numero oratorio in sententiis.

a. Verba delecta, ordinata, & recte conjuncta hucusque semper adhuc materia solum orationis numerosae censenda sunt, quibus concinnitas illa, quam Cicero alicubi expolitionem appellat, praeterea addenda est, ut ad plenam jucunditatem & suavitatem numeri oratorii pertingant.

b. Concinnitas ista seu expolitio obtinebitur, si sententiae singulae non solum ornatae in se sint, sed simul etiam cum pluribus aliis apte cohaereant, & ita connexae rotunditatem quampiam praeferant. Hinc enim deinde jucunditas illa sermonis tantopere commendata nascetur, & mirabili suavitate in aures animumque incurret.

c. Quoniam sine connexione oratio omnis arena sine calce est, seu ut Tullius ait: *scopae dissolutae*, nexus autem artificium totum in ratione primum periodorum rite struendarum & applicandarum; tum in conjugatione periodorum ipsarum inter se & majorum orationis partium ita situm est, ut merito dici possit, in

hac

hac una inesse omnem fere numeri oratorii vim; & orationis numerosae pulchritudinem; exurgunt nobis isthinc duo necessaria tractationis oratoriae capita, videlicet de periodis & transitionibus.

A. *De Periodis.*

a. periodus ex voce graeca, latine vocatur a Cicerone ambitus, circuitus, comprehensio, continuatio, circumscriptio &c.

b. Definitur vero periodus; *Oratio, quae constat partibus ita inter se connexis, atque a se invicem pendentibus, ut sensus non sit absolutus & perfectus, nisi ultima pars accedat.*

Annot. Veteres Oratoriae praeceptores Aristoteles, Demetrius, ipse Cicero paullo alias, partim satis obscuras adferunt periodi definitiones, sed re accurate examinata denique ad hanc, quam mox dedimus, redeunt reliquae omnes.

c. Partes periodi in universum spectatae assignantur duae; *membra* videlicet, quae partes majores periodi, & *incisa*, quae partes minores periodorum vocantur. Verum haec divisio satis accurata non est, cum incisa non tam periodi partes sint, quam membrorum, quae incisis aut amplificantur, aut exornantur, ut mox videbimus.

1. *Membrum* autem (Graecis *Colon*) si ut pars periodi consideretur, definitur: Oratio, quae

ſententiam quidem ex Grammaticae legibus plenam efficit, ſed tamen ſenſum pendentem ab aliquo, quod adhuc deſideratur, relinquit: e. g. Cic. pro Marcell. *Cum ipſius victoriae conditione omnes victi occidiſſemus*, deſideratur hic aliquid, id quod particula *cum* indicat, pendetque adhuc ſenſus iſte a ſequenti membro: *clementiae tuae judicio conſervati ſumus*.

2. *Annot*. Sunt etiam membra, quae partes periodi non ſunt, ſed per ſe plene abſoluteque ſtant in oratione, & vix niſi aliquando ornatu quodam a propoſitione ſimplici differunt: e. g. Cic. Philipp. 2. *Omnino nulla cauſſa juſta cuiquam eſſe poteſt contra patriam arma capiendi*, vel ut Cic. ad Quir. *Vos ſpectatum, & incredibili pietate cognitum fratrem reddidiſtis*. Ecce exempla utriusque generis membrorum in illo Salluſtii bell. Juguthin. c. 10. *Concordia parvae res creſcunt, diſcordia maximae dilabuntur*. Habes hic membra duo, quae partes periodi non ſunt; ſi ita efferas. *Quemadmodum concordia parvae res creſcunt, ita diſcordia maximae dilabuntur*, membra periodica duo ſunt; pendet enim primi membra ſenſus, & deſiderat ad ſui complementum membrum alterum per particulas *quemadmodum, ita*.

b. A numero membrorum quaedam periodi denominationes recipere ſolent, e. g. Unimembris (monocolos), bimembris (dicolos), trimembris, quatrimembris (tricolos, tetracolos.)

2. *Inciſum* (Graecis *Comma*) eſt parva ſententia (id eſt propoſitio) aut pars ſententiae,

uno,

uno, vel pauculis inclusa verbis, plerumque pars minor alicujus membri, ad cujus circumductionem adhibetur, e. g. Cic. L. VI. famil. 12. ait: *Vidi, cognovi, interfui.* Idem Cic. de Orat. *Domus tibi deerat? at habebas, pecunia superabat? at egebas.* En quatuor incisa. Vel denique ut Cic. pro Marcello: *Et certe in armis militum virtus, locorum opportunitas, auxilia sociorum, classes, commeatus juvant.* Ubi iterum quinque incisa reperiuntur.

a. *Annot.* Incisum juxta nonnullorum Rhetorum doctrinam est oratio intra octo circiter syllabas comprehensa; membrum autem ad septemdecim syllabas procurrens. Sed justo minutior ad haec syllabarum aucupatio.

b. Volunt aliqui, incisa perfectum orationis sensum efficere debere; quod etsi aliquando contingat, tamen semper non obtinet. Exempla hic superius posita inspicienti utrumque declarant.

d. Periodi prima divisio membrorum numerum spectat, & est in *regulares*, quae certo fixoque membrorum numero continentur, & *irregulares*, quae incerto indeterminatoque membrorum numero libere evagantur.

1. *Regularium periodorum* classem constituunt illae, quae ab uno membro ad quatuor usque justa magnitudine procurrunt, & ut supra insinuavimus, nomina e membrorum numero sortiuntur. Itaque

 a. *Pe-*

a. *Periodus unimembris* unico membro abſolvitur, ſed circumducto tamen nonnihil. Exempla ſunt: Cic. ad famil. II. 14. *M. Fabio, viro optimo, & homine doctiſſimo, familiariſſime utor.* Tolle verba ambitus cauſſa inſerta: *viro optimo & homine doctiſſimo*, & continuo circumductio, atque inde etiam periodus peſſumivit, remanetque nuda & ſimplex propoſitio: *M. Fabio familiariſſime utor.* Item Cic. pro Marcell. *Tua divina virtus admirationis plus eſt habitura, quam gloriae.* Item adhuc ibidem: *Diſſidebamus non conſiliis ſolum & ſtudiis, ſed armis etiam & caſtris.*

b. *Periodus bimembris* duobus membris a ſe mutuo pendentibus definitur, e. g. Cic. ad Quir. (1. membr.) *Reliquae meae fortunae recuperatae plus mihi nunc voluptatis afferunt:* (2. membr.) *quam tunc incolumi afferebant.* Item Cic. pro Marcell. (1. membr.) *Tantus eſt ſplendor in laude vera, tanta in magnitudine animi & conſilii dignitas:* (2. membr.) *ut haec a natura donata, cetera a fortuna commodata eſſe videantur.*

c. *Periodus trimembris* tribus membris conſtat inter ſe nexis & ſuſpenſis. Vide rem in exemplis: Cic. famil. V. 21. (1. membr.) *Eſt enim res jam in eum locum adducta* (2. membr.) *ut quamquam multum interſit inter*

eorum

eorum (Caesaris & Pompeji) *caussas*; (3. membr.) *tamen inter victorias non multum interfuturum putem*. Rursum Cic. de Invent. (1. membr.) *Cum & nostrae reipublicae detrimenta considero*, (2. membr.) *& maximarum civitatum veteres animo calamitates colligo*: (3. membr.) *non minimam video per desertissimos homines invectam esse partem incommodorum*.

d. *Periodus quadrimembris* ex quatuor membris rite cohaerentibus componitur. Exemplum est apud Cic. Philipp. 9. (1. membr.) *Ut vero C. Pansae consulis accessit cohortatio gravior*, (2. membr.) *quam aures Servii Sulpicii fere didicissent*: (3. membr.) *tum vero denique filium, meque seduxit atque ita locutus est*, (4. membr.) *ut auctoritatem vestram vitae suae se diceret anteferre*. Aliud exemplum apud eumdem Cicer. de Provinciis consular. (1. membr.) *Si quis vestrum expectat, quas sim provincias decreturus*: (2. membr.) *consideret ipse secum, qui mihi homines ex provinciis detrahendi sint*: (3. membr.) *non dubitabit, quid me sentire conveniat*, (4. membr.) *cum, quid me sentire necesse sit, consideravit*.

1. *Annot.* Multa vulgo a Rhetoribus praecipi solent de justa singulorum membrorum dimensione; sed cum Veteres magna in hoc genere libertate usi sint, ut inspicientibus patet, supervacua sunt praecepta omnia. Unum observari malim, ut tum justa caussa in contrarium non urget, membra ne sint nimis inaequalia; facilius enim tum suaviusque influunt in animum.

2. Itaque si in periodo quadrimembri, quae habentur omnium perfectissima, membra quatuor valde essent inter se paria, *periodum quadratam* dixerunt: si paria haec membra insigniter praeterea numerosa, *periodum rotundam*; denique si membra etiam sic disposita forent, ut illa duo, quae Protasim constituunt, salvo numero ac sensu periodi, pesteriori loco collocari; in vicem autem membra Apodosis priorem imperturbate occupare possent, *periodum decussatam* appellarunt. Verum haec non magnae, aut verius fortasse nullius sunt frugis.

3. En tamen ex Cicerone pro A. Caecinna Exemplum:

(1. membr.) Si quantum in agro locisque desertis audacia potest,

(2. membr.) tantum in foro atque judiciis impudentia valeret:

(3. membr.) non minus nunc in caussa cederet A. Caecinna L. Aebutii impudentiae,

(4. membr.) quam tum in vi facienda cessit audaciae.

Quam

Quam unam eandemque periodum jure propter membrorum aequalitatem *quadratam*; ob insignem numerum *rotundam*; denique propter Protasis Apodosisque alternationem *decussatam* vocare fas est.

2. *Irregulares periodi* dicuntur eae omnes, quae ultra quatuor justa membra extenduntur, progressae enim ulterius *non amplius intra justam mensuram periodi manent*, ut Demetrius ait. Ad hoc vero genus fere sequentes referuntur:

a. *Periodicon* (latine circumductio periodica, item ambitus) est periodus rite quidem circumducta, sed ad quinque aut plura membra (nunquam tamen ultra octo) excurrens. Refertissimi sunt Periodicis, hujusmodi oratores nobilissimi quinque. Exemplum sit hic ex Cicerone Offic. 1. (1. membr.) *Quamquam, te, Marce fili, annum jam audientem Cratippum, idque Athenis, abundare oportet praeceptis, institutisque Philosophiae, propter summam & Doctoris auctoritatem & urbis*, (2. membr.) *quorum alter te scientia augere potest, altera exemplis*: (3. membr.) *tamen ut ipse ad meam utilitatem semper cum graecis latina conjunxi*, (4. membr.) *neque id in Philosophia solum, sed etiam in dicendi exercitatione feci*; (5. membr.) *idem tibi censeo facien-*

dum, (6. membr.) *ut par sis in utriusque orationis facultate.*

b. *Pneuma* (Latine *Spiritus*) est itidem oratio circumducta, membris incisisque distincta, & longitudine sua ad spiritum dicentis oratoris accommodata. Quare mensura Pneumatis erit spiritus oratoris. Ita Cicer. pro Caecinna. (1. membr.) *Quapropter hoc dicam, nunquam ejus auctoritatem nimium valere.* (2. membr.) *ejus prudentiam populus romanus in cavendo, non in decipiendo perspexerit*, (3. membr.) *qui juris civilis rationem nunquam ab aequitate sejunxerit*, (4. membr.) *qui tot annos ingenium, laborem, fidem suam populo romano promtam expositamque praebuerit*, (5. membr.) *qui ita justus & bonus vir est*, (6. membr.) *ut natura non disciplina consultus esse videatur*, (7. membr.) *ita peritus & prudens*, (8. membr.) *ut ex jure civili non scientia solum quadam, verum etiam bonitas nata videatur*, (9. membr.) *ejus tantum est ingenium, ita promta fides*, (10. membr.) *ut quidquid inde haurias*, (11. membr.) *purum liquidumque te haurire sentias.*

c. *Tasis* graece (latinis *Extensio*) est periodus omnium diffusissima, quae plura accumulat membra, quam vel valentissi-

mus

mus quisque uno ſpiritu eloquatur. Vix differt alia re quam longitudine a Pneumate, quam Taſis habet immodicam. Exempla utriusque ſunt & in Cicerone paſſim & in aliis obvia, quae proinde hic adducere longum eſſet & ſupervacaneum.

Annot. Non temere hoc periodi genere uti permiſſum eſt, ſed tantum cum orator ſumma aliqua commotione affectuum quaſi extra ſe abreptus eſt, aut etiam in narrationibus multorum factorum, deſcriptionibus patheticis, anacephalaeoſibus, longis comparationibus & antitheſibus, cujusmodi notanter habetur apud Cicer. Catilin. 2. c. 11. *Ex hac enim parte pudor pugnat, illinc petulantia; hinc pudicitia, illinc ſtuprum; hinc fides, illinc fraudatio; hinc pietas, illinc ſcelus; hinc conſtantia, illinc furor; hinc honeſtas, illinc turpitudo, hinc continentia, illinc libido, denique aequitas, temperantia, fortitudo, prudentia, virtutes certant cum iniquitate, cum luxuria, cum ignavia, cum temeritate, cum vitiis omnibus; poſtremo copiae cum egeſtate, bona ratio cum perdita, mens ſana cum amentia, bona denique ſpes cum omnium rerum deſperatione confligit.*

Schaenotenes graece (quaſi latine dicas funis extenſus) eſt oratio, quae interjectis propoſitionibus incidentibus, aut etiam ideo aliqua generali in ſpecialiores plurimas ſoluta longius funis inſtar extendi-

tur: e. g. Cicero contra Rull. *Hoc capite, Quirites, omnes gentes, nationes, provincias, regna, Decemvirum ditioni, judicio, poteſtatique permiſſa & condonata eſſe dico.*

1. *Annot.* Obſervant nonnulli, Schoenotenem tunc tantum eſſe, cum membri alicujus praedicatum aut ſubjectum funis inſtar mox narrato modo extenditur.

2. Non ideo haec irregularia periodorum genera commemoravimus: quaſi multa in earum imitatione, aut confectione opera collocanda ſit. Sed quoniam hoc orationis genus undique apud auctores obventurum eſt, ut nec ad cogitationem iſtius dicendi generis haereat juventus noſtra; nec ad irregularium quandoque illata nomina obſtupeſcat.

3. Etſi irregularibus quandoque periodis varianda ſit oratio, meminiſſe ſemper oportet, condimenta eas eſſe orationis ſuo loco adhibitas, quae nec ubique, nec plena manu effundi debent, ſed rara & apta.

4. Oratio, quae periodis regularibus paſſim inſtructa decurrit, *Oratio periodica*, item *Oratio verſa*; contra illa, in qua irregulares periodi regnant, *Oratio fuſa* appellari conſuevit.

5. Quoniam *Orationi verſae* opponitur *Oratio fuſa*, haec autem uti cenſentur oratores, quotiescunque vel membratim vel inciſim dicendo progredimur, facile hinc vis & diſcrimen horum duorum dicendi generum liquidum fit; nam

a. Mem-

a. *Membratim dicere* idem eſt ac per membra partem pendentia (non tamen in periodum aliquam regularem coalita), partem vero abſoluta orationem ducere.

b. *Inciſim dicere* autem tum cenſebimur, cum in oratione plurima vibrabuntur inciſa, modo perfecto ſuo ſenſu concluſa, modo ſuſpenſa.

c. Altera diviſio periodorum eſt in partes generaliores, quam prior. Cum enim antea numerus membrorum in conſiderationem tantum veniſſet, hic totius conſtructionis, inſuper habito membrorum numero, ratio habetur. Fit haec diviſio rurſus bifariam, nempe in periodos *ſimplices & compoſitas*.

Periodus ſimplex eſt, quae nullis partibus conſtat, quamquam omni circuitu & ſuſpenſione non careat, per quam periodus eſt, & a propoſitione ſimplici diſtinguitur. Eſt hujus generis unica illa, quam ſupra unimembrem (monocolon) nominavimus.

Annot. Intuere exemplum in illo Ciceronis ad famil. XIV. 5. *Tu velim, quod commodo valetudinis tuae fiat, quam longiſſime poteris, obviam nobis properes.* Periodus unimembris eſt. Aufer circumductionem, *quod commodo valetudinis tuae fiat*, item, *Tu velim*, ac *quam longiſſime poteris*, & propoſitio nuda ac ſimplex ſupererit in verbis: *obviam nobis properes.*

2. *Pe-*

2. *Periodus compoſita* eſt omnis illa, quae ex partibus duabus componitur, *Protaſi* & *Apodoſi*, quotcunque demum membrorum ſit.

a. Eſt vero *Protaſis* (latinis *Antecedens* vel *Principium*) illa periodi pars prior, quae ſuſpenſa alteram deſiderat, & unde altera ſequens pendet.

b. *Apodoſis* autem (latinis *Conſequens*, item *Finis*) eſt pars priori reſpondens & ſuſpenſam orationem complens.

1. *Annot.* Diligenter hic notandae partes duae: *Protaſis* & *Apodoſis*, in quibus totum periodi ſtruendae amplificandaeque fundamentum quieſcit, ut infra videbitur.

2. Ex notione partium harum duarum lis item ille facile deciditur, unimembris veniatne periodi nomine, nec ne? Si enim partes hae duae in omni periodo deſiderantur, eas autem in contractiori quam bimembri reperiri impoſſibile eſt, unimembris e numero periodorum exulabit; ſin contra, circumductio quantulacunque ad periodi nomen ſufficit, & ſimplicis periodi nomen retinebit.

f. Ad claſſem igitur *ſimplicium* ſola periodus unimembris pertinet, ad *compoſitarum* autem tres reliquae regulares, bimembris, trimembris, quadrimembris. Sola enim uni-

unimembris hac compoſitione, & frequenter Protaſi & Apodoſi caret ex natura ſua; reliquae tres ſemper & ubique his partibus inſtructae ſunt.

g. In periodis compoſitis (bimembri excepta) nec Protaſis nec Apodoſis conſtantem numerum membrorem habet.

1. *Annot.* Bimembris enim, cum duo tantum perpetuo membra habeat, neceſſario & ſemper unum horum Protaſin, alterum Apodoſin comprehendit. In trimembri modo Protaſis unum, Apodoſis autem duo; modo converſa vice Protaſis duo, Apodoſis vero unum tantum membrum continet. Pari ratione in quadrimembri jam Protaſis uno, duobus, tribusve membris enunciatur, Apodoſis autem unico; jam contra fit, ut uno, duobus &c. Protaſis, certis membris Apodoſis abſolvatur.

2. Obiter hic refricandae ſunt majori jam cum intelligentia interpungendi rationes praecipue alibi traditae: nempe poſt Protaſin duo puncta poni, ſeu illa poſt unum, duo vel tria membra finiatur; poſt Apodoſin punctum; membra reliqua ſingula, aut inciſa, ſi perfecta ſunt, commatis; pendentia vero & ſuſpenſa ſemicolis diſtinguenda eſſe.

h. Juverit in exemplis aliquot Protaſin, Apodoſinque periodorum conſpicere, priusquam de hac doctrina ulterius progrediamur.

1. *Period. bimembr. ex Cic. famil. VI. 16.*

Protas. (1. Membr.) Si mihi tecum non & multae,

tae, & justae caussae amicitiae privatim essent.

Apod. (2. membr.) repeterem initia amicitiae ex parentibus nostris.

2\. *Priod. trimembr. ex eodem themate cum Protasi duorum membrorum.*

Protas. (1. membr.) Si mihi tecum non & multae & justae caussae amicitiae privatim essent, (2. membr.) neque jam ab ineunte adolescentia complura inter nos mutua officia extitissent:

Apod. (3. membr.) repeterem initia amicitiae ex parentibus nostris.

Cum Apodosi duorum membrorum.

Protas. (1. membr.) Si mihi tecum non & multae & justae caussae amicitiae privatim essent:

Apod. (2. membr.) repeterem caussas amicitiae nostrae a parentibus nostris, propterea, (3. membr. quod inter eos etiam magna semper atque arcta imprimis familiaritas intercessit.

3\. *Period. quadrimembr. ex eodem themate cum Protasi 2. & Apod. 2. membrorum.*

Protas. (1. membr.) Si mihi tecum non multae & justae caussae amicitiae privatim essent.

(2.

(2. membr.) neque jam ab ineunte adolescentia complura inter nos mutua officia extitiſſent:

Apod. (3. membr.) repeterem cauſſas amicitiae noſtrae a parentibus noſtris, propterea,
(4. membr.) quod inter eos etiam magna ſemper atque arcta imprimis familiaritas interceſſit.

Cum Protaſi 1. *&* *Apodoſi* 3. *membrorum.*

Protas. (1. membr.) Si mihi tecum non & multae & juſtae cauſſae amicitiae privatim eſſent:

Apod. (2. membr.) repeterem cauſſas amicitiae noſtrae a parentibus noſtris, propterea,
(3. membr.) quod inter eos etiam tum magna ſemper atque arcta imprimis familiaritas interceſſit.
(4. membr.) ut nullo unquam caſu amicitiae illius conjunctio; ſed ſola morte fuerit violata.

Cum Protaſi 3. *&* *Apodoſi* 1. *membrorum.*

Protas. (1. membr.) Si mihi tecum non & multae & juſtae cauſſae amicitiae privatim eſſent,
(2. membr.) neque jam ab ineunte adoleſcentia ejus generis mutua inter nos officia extitiſſent,
(3. membr.) quae pro ratione aetatis augeſcentis non infirmari ſolent, ſed convaleſcere & ſolidari:

Apod.

Apod. (4. membr.) repeterem initia amicitiae noſtrae ex parentibus noſtris.

i. Conſpectus iſte exemplorum dum variam Protaſis & Apodoſis diductionem oculis ſubjicit, ſimul totum ſeu conſtruendae ſeu transformandae alicujus periodi artificium ſub unum obtutum repraeſentat. Facile enim hinc apparet, ſibi bimembris periodi vel prius vel poſterius membrum extenderis, trimembrem naſci debere; ſi utrumque autem bimembris in duo, aut alterutrum eorum in tria membra diſtraxeris, quadrimembrem neceſſario exiſtere, aequata tamen aut variata longitudine Protaſis & Apodoſis, pro ratione exhibitae extenſionis vel in Protaſi vel in Apodoſi.

k. Verum, ut luculentius, ſi fieri poteſt, fiat artificium, transferendae ſunt monitiones & exempla ad ſingula periodorum genera. Quare

1. *In periodo unimembri* ſimplici ſententiae aliqua circumductio vel a propoſitione incidenti, vel ex uno alteroque inciſo adjungitur. Sic Cicero pro Marcello propoſitionem: *Tuam virtutem maximopere admirabuntur*, circumducit, & in periodum unimembrem efformat: *Tua divina virtus admirationis plus habitura eſt, quam gloriae.* Sic alterum etiam: *Diffidebamus conſiliis & armis*, in unimembrem extendit: *Diſ-*

ſide-

fidebamus non consiliis solum & studiis, sed armis etiam & castris.

Annot. Interdum sola verba principalis positionis mediate examinata suppeditant incisa, propositiones incidentes, aut alia amplificandi media pro hac aut aliorum generum periodis.

2. *In periodo bimembri* propositioni simplici vel caussa, vel conditio, vel contrarium, vel comparatio, vel aliud quidquam annectitur, id quod fere semper in Protasim ita redigitur, ut propositio principalis deinde Apodosim efficiat.

Sic propositionem simplicem: *Mitto tibi librum promissum*, ita bimembri *caussali*, extulit Plin. ep. l. 2. (1. membr.) *Quia tardiorem eventum tuum prospicio:* (2. membr.) *librum, quem prioribus epistolis promiseram, exhibeo.*

Sic item propositionem: *Nolim esse cum civibus a me alienis* Cicero Catilin. 3. hac periodo *conditionali* conclusit, (1. membr). *Si me meis civibus suspectum tam graviter atque offensum viderem:* (2. membr.) *carere me aspectu civium, quam infestis oculis omnium conspici mallem.*

Rursus propositio: *Hic locus molestiarum atque tumultuum plenissimus fuit* a contrario, sic in periodum redacta est a Cice-

rone de Orat. L. I. (1. membr.) *Qui locus quietis & tranquillitatis pleniſſimus fore videbatur:* (2. membr.) *in eo maximæ moles moleſtiarum, & turbulentiſſimæ tempeſtates extiterunt.*

Propoſitio ſimplex: *Servator urbis honorari debet* per comparationem ſic a Cic. Catilin. 3. in periodum conformata eſt: (1. membr.) *Quoniam illum, qui hanc urbem condidit, ad Deos immortales, benevolentia famaque ſuſtulimus:* (2. membr.) *urbis ſervator eſſe apud vos poſterosque veſtros in honore debebit.*

Propoſitionem: *Non omne facinus in omni vita naſcitur*, Cic. pro Roſc. Amerin. a ſimilitudine ducta amplificatione in periodum bimembrem transfert: (1. membr.) *Ut non omnem frugem, neque arborem in omni agro reperire poſſis:* (2. membr.) *ſic non omne facinus in omni vita naſcetur.*

Denique aliud quidpiam nonnunquam ad extendendam periodum accerſitur: ſic ſæpe laudatus Cicero ex propoſitione: *Nobis gratia & eloquentia nunc obeſt*, hanc periodum relativam effingit; (1. membr.) *quæ res in civitate duæ plurimum poſſunt:* (2. membr.) *hae contra nos ambæ faciunt hoc tempore, ſumma gratia & eloquentia.* Idem ex propoſitione: *Hoc pacto male*

con-

consuletis reipublicæ, ita periodum construit: (1. membr.) *Hoc pacto aut deseretis omnino rempublicam Quirites*: (2. membr.) *aut projectum consulare imperium, propriam senatus auctoritatem posteris relinquetis.* Adhuc Cicero propositionem hanc; *Tranquillitatem nobis Cæsar reddidisti* tali periodo copulativa enunciat; (1. membr.) *Ergo & mihi meæ pristinæ vitæ consuetudinem Cai Cæsar interclusam aperuisti*: (2. membr.) *& his omnibus ad bene de omni republica sperandum quasi signum aliquod sustulisti.* Denique tali concessiva periodo propositionem; *Moneo te de promisso tuo, non flagito*; Cicero famil. IX. 8. circumduxit (1. membr.) *Etsi munus flagitare, quamvis quis ostenderit, ne populus quidem solet, nisi concitatus*: (2. membr.) *tamen ego expectatione promissi tui moveor, ut admoneam te, non ut flagitem.*

a. *Annot.* Opportunum ad cetera propositionis amplificandae & in periodum aptandae fuerit compendium, singulas propositiones assignatae voces attentius examinare, possitne ex earum aliqua, aut aliquibus, materia periodo circumducendae idonea elici? quae incisis exornata in periodum conformetur e. g. in sententia: *Concio imperita assentatorem discernit a gravi cive*; pro *discernit* dici poterit: *judicare solet*, *quid intersit*, quomodo nata est pulcherrima periodus apud Ciceron. de amicit. c. 25. (1. membr.) *Concio, quæ ex imperitissimis constat, tamen judicare solet*: (2. membr.)

 quid

quid interſit inter popularem, id eſt, aſſentatorem, & levem civem; & inter conſtantem, ſeverum & gravem. Vel dici poſſet: *Etſi concio ex imperitiſſimis fere civibus conſtat, tamen &c.* Vel etiam, pro *aſſentatore* pone: *tum qui blanditiis & vendibili oratione in aures influit multitudinis.* Præterea *gravem civem* circumſcribere: *qui ſententiam rogatus, libere & conſtanter, id, quod ſentit, pronunciat &c.* Vides hinc, vel modice nervos contendenti materiam deeſſe non poſſe.

b. Divinatione opus non eſt, unde periodi *relativae*, *adverſativae*, *copulativae*, *disjunctivae*, *conditionales*, *conceſſivae*, *comparativae &c. &c.* nomen ſuum traxerint; facile enim cuilibet intuenti incurrit in oculos, ortas has eſſe denominationes a particulis, quibus periodorum membra inter ſe connectuntur, & mutuo a ſe pendent.

In *periodo trimembri* concinnanda longe minor eſt difficultas; facilius enim Protaſis vel Apodoſis in duo membra ſecatur, ſi bimembris jam præſto ſit, quod ſupra vidimus; vel mox recenſita ſuperius induſtria verbum aut ſententia aliqua ad propoſitum noſtrum dilatatur. Sic e. g. bimembria, quam ſupra ex Catilin. 3. c. 1. per comparationem exſurgere vidimus, in tertium membrum expeditiſſime accreverit, ſi voces *Urbis ſervator* reſolveris in verbum: *qui urbem ſervavit.* Exibit namque hinc iſta trimembris: (1. membr.) *Quoniam illum, qui hanc urbem condidit, Romulum ad Deos immortales benevolentia fama-*

famaque sustulimus: (2. membr.) *esse apud vos, posterosque vestros in honore debet is*, (3. membr.) *qui eandem hanc urbem conditam amplificatamque servavit.* Vides hic scilicet dilatatam Apodosin, quæ ipsius nunc Ciceronis periodus ad verbum est.

4. In *periodo quadrimembri* idem prorsus accidit: sive enim periodi bimembris Protasin & Apodosin in duo membra singulas produxeris, sive alterutram earum in tria: semper periodum quadrimembrem habebis. Exemplum sit illa bimembris Ciceroniana Protasis (1. membr.) *Quoniam cujus consilio Roscius occisus sit, video:* Apod. (2. membr.) *cujus manu sit percussus, non laboro.* Hanc si modo mox recensito diduxeris, protasin quidem in duo sequentia membra: (1. membr.) *Quoniam argumentis certissimis compertum habeo*, (2. membr.) *cujus potissimum consilio Sext. Roscius occisus sit:* Apodosin deinde in alia duo membra: (3. membr): *non frustra consumam operam & laborem in quærendo*, (4. membr.): *cujusnam ille manu sit percussus.* Habes hic periodum quadrimembrem oppido elegantem & numerosam. Sed observa simul diductionem Protasis in membrum alterum ex sola dilatatione verbi *video*; Apodosis autem membrum secundum ex dilatatione verbi *non laboro* ortum esse. Idem plane eventurum confide,

ſi aut aliquam bimembrem in tria membra diſpeſcueris, aut propoſitionem etiam quamcunque ſimplicem accurate obſervaveris, ſcienterque amplificaveris.

l. Fruſtra in tota arte periodica deſudaveris, niſi artem apte deviuciendi membra invicem probe callueris. Cum enim per hanc tantum membra ſingula ſuſpendi valeant, omnis periodorum recte formandarum cardo ab hac una arte pendebit.

m. Sunt vero apta non minus quam neceſſaria tam ſuſpendendi, quam devinciendi inſtrumenta, particulæ, quarum ope nexus omnis inter membra perficitur. Quæ cauſſa fuit, cur ceu rem ſummi momenti particularum doctrinam & uſum adoleſcentibus noſtris jam alias commendaverimus, & denuo tanquam præſentiſſimum ſubſidium commendata cupiamus.

n. Equidem habent viri particulas hujusmodi in numerato, nihilque fere, recte & ordinate, cogitantes moratur nexus iſte, ſed moleſtiæ difficultatis, & tantum non nauſeæ plenus labor eſt adoleſcentibus: connexiones juſtas reperire, & particulas competentes adhibere Fortaſſis rem gratam & proficuam his poſtremis facturi ſumus, ſi claſſes obviarum particularum connectentium aliquas huc inſerimus

1. *Par-*

1. *Particulæ relativæ.*

Qui — { Is, Ille, Ejusmodi }
Meus — Veſter
Idcirco — { Ut, Quod }
Quamdiu — Tamdiu
{ Is, Hic } Ut
Quanto — { Tanto, Eo }
Talis — Qui
Partim — { Alia, Quaedam }
Quoad — Inde
Tantum abeſt — Ut — Ut
Alii — Alii
Rari — Plerique
Hujusmodi — Qui
Noſter — Veſter
Idcirco - - Non quia, ſed quoniam
Tamdiu — Quamdiu
Quoties — Toties
Quantum — Tantum]
Qualis — Talis

Tantus — { Quantus, Ut }
Tot — Quot
Alius — Alius, Alius.
Non tam — Quam
Non tam propter — Quam propter
Non tam quod — Quam quod
Ille — Hic
{ Ita, Sic } — Ut
{ Quia, Quoniam } — Idcirco
Quo — { Eo, Hoc }
Nihil aliud — Niſi
Antea — Nunc
Partim — Partim
Prius — Quam
Tantus — { Ut, Uti }
Tam — Quam
Non tam quia - Quam quia &c.

2. *Particulae conditionales.*

Si — { Tamen / Certe / Profecto }

Siunquam { Tum profecto / Hoc tempore }

Si — { Sin autem / Sinminus / Sin aliter }

Si — { Sin cur / Sin vero }

Si quando — Nunc

Si — Quid

Si qui — { Is / Tum certe }

Si — Num propterea

Si — { Sin / Sed si }

Si nihil aliud-Hoc saltem

Si quisquam — Profecto

Si — { Idcirco / Nunc / Tandem }

Si — { Tamen non / Cum vero / Necesse est }

Si — Quanto

Si — Quam

Hoc esset -- { Nisi / Nisi si }

Si — Tum

Sin aliter — Tum

Si ut- { Sic / Tum demum }

&c.

3. *Particulae caussales.*

Quia / Quoniam { — Ideo

Ideo — { Non quod / Sed quod }

Una — { Altera / Tertia / Quarta caussa }

Idcirco / Propterea } — Quia / Quod

Quod cum sit — Ideo ut

Cum — { Non quod / Sed quod }

Non ideo — Sed ut

Hoc est — Quia

Cum — Quis dubitat quin &c. &c.

4. *Particulae comparativae.*

Ut — { Sic / Ita }	Perinde — Ac ſi
Ut non — Sic non	Non aliter / non ſecus } Quam
Tanquam — Ut	Nonne ut — Sic
Quemadmodum — Sic	Eo modo — Quo &c.
Ut nec — Si nec	

Annot. Hoc genus particularum præcipue ad Similia, Exempla & Teſtimonia connectenda valet.

5. *Particulae conceſſivae.*

Illud eſt magnum - tamen Neſcio an	Utut—tamen
Quamquamhoc eſt-Tamen	Quamquam - - Tamen non hoc-ſed illud
Quamquam non modo-ſed etiam tamen	Etſihocmaximum- Tamen id magis quam
Quamquamhoc eſt-Tamen illud magis-quia	Quodſi hoc non eſſet - ſed illud - tamen
Quamvis-Tamen { Quoniam / Quod }	Etſi hoc ſit - - Tamen niſi illud ſit--non fiet.
Etſi ſic-Ut non magis-tamen	Quamquam hoc eſt -- illud tamen non eſt-niſi &c.
Dabimus hoc eſſe - Haud tamen ſcio an	

6. *Particulae adversativae.*

Hoc eſt - Sed illud non eſt
Hoc quidem- Sed tamen
Illud jam pridem — hoc nunquam
Et hoc non eſt - Sed illud eſt
Hoc quidem - Nihilominus tamen
Quidem — Sed & / Sedetiam
Hoc fit — Non ut — Sed ut
Quidem — Autem
Verum — Si
Si — Quidem — Tamen
Hoc quidem — At vero
Illud ſemper — Hoc nunquam &c. &c.

7. *Particulae explanativae.*

Aut — Aut — Aut &c.
Nontantum-Verum etiam
Non modo — Sed potius
Non modo — Sed contra
Praeſertim ſi --Præſertim cum
Nec- Neque - Necque &c.
Aut — Aut etiam / Aut certe
Non modo — Sed etiam
Non modo — Sed quoque
Non modo — Verum multo magis
Non modo nihil — Econtrario
Prorſus — Quaſi
Sive — Sive — Sive &c.
Non modo — Sed pene
Non tantum- Sed omnino non
Præcipue- Præſertim - inprimis
Ne -- Quidem -- ne &c.

8. *Particulae copulativae & consecutivae.*

Et — Et — Et — &c.
Simul — Ac / Atque / Illico
Cum — Tum
Tum — Cum
Item — Quam / Non item
Postquam — Illico / Repente
Simul — Simul
Simul ut — Continuo

Cum — Protinus / Statim
Post — Quam / Cum
Postquam — Tum vero / Tum denique / tum tandem
Simul — Et — Et
Ut primum — Confestim
Cum — Tum demum
Item, ibidem, Idemque
Ut, uti &c. &c.

Annot. Exempla Periodorum ope harum particularum confecta istud congerere operæ pretium non est; sunt enim vel aperto Cicerone ubique obvia.

9. Secundum connexiones mutuas membrorum inter se, periodi ipsæ invicem copulandæ sunt, ut ex diversis in unam orationem coeant. Hæ periodorum commissuræ, si ex ipso orationis sensu dimanent, optima sine dubio sunt, nonnunquam vero & hic fibularum loco particulæ quæpiam adsciscuntur, quæ in auctorum lectione constanti solicitudine observandæ, enotandæ & ad usum applicandæ sunt. Ecce hujus generis:

At-

Atque ego quidem —	Itaque —
Et vero —	Nam cum —
At enim —	Ac primo quidem —
Quæ cum ita ſint —	Enim vero —
Neque vero —	Adde quod —
Quin etiam —	Accedit & illud —
Igitur —	Huc accedit —
Ergo —	Jam vero quid dicam?
Quid, quod? —	Nam illud quid attinet --?
	Omitto domeſtica — &c.

1. *Annot.* Non liquidius hoc connectendi artificium quantum eſt percipietur: quam ſi opere ipſo executioni mandatum coram inſpiciendum offeretur. Itaque in hunc finem ſubjecta eſto pars Exordii Orationis pro Leg. Manil.

Quamquam *mihi ſemper frequens conſpectus veſter multo jucundiſſimus, hic* autem *locus ad agendum ampliſſimus, ad dicendum ornatiſſimus viſus eſt, Quirites:* tamen *hoc aditu laudis* non *mea me voluntas*, ſed *meae vitae rationes ab ineunte ætate ſuſceptae prohibuerunt.*

Nam cum *antea per ætatem nondum hujus auctoritatem loci contingere auderem, ſtatueremque, nihil huc, niſi perfectum ingenio, elaboratum induſtria afferri oportere; omne meum tempus amicorum temporibus transmittendum putavi.*

Itaque neque *hic locus vacuus unquam abiis, qui veſtram cauſſam defenderent, fuit, & meus labor in amicorum periculis caſte integreque verſatus, ex veſtro judicio fructum eſt ampliſſimum conſecutus.*

Nam cum *propter dilationem comitiorum ter Praetor primus cunctis centuriis renunciatus ſum:*

faci-

facile intellexi Quirites, & quid de me judicaretis, & quid aliis faciendum praescriberetis.

Nunc cum & *auctoritatis in me* tantum *sit*, quantum *vos honoribus mandandis esse voluistis, & agendum facultatis* tantum, quantum *homini vigilanti ex forensi usu prope quotidiana dicendi exercitatio potuit afferre:* certe & si quid *auctoritatis in me est*, ea *apud* eos *utar*, qui eam *mihi dederunt;* & siquid etiam *dicendo consequi possum*, iis *ostendam patissimum*, qui ei *quoque rei fructum suo judicio tribuendum esse censuerunt &c. &c.*

2. Coecus plane sit & incogitantissimus, qui circumductiones & vincula, quibus tum membra, tum periodi mutuo adstringuntur, non hic undique deprehendat.

p. Denique summa & praecipua cura illuc convertenda est, ut non membra solum singula, sed totae etiam periodi, dum a sermone vulgi longissime cum dignitate recedunt, simul numerosae ad aures perveniant. Quae quidem dos adeo eloquentiae propria est, ut sine numero nec opus oratorium aliquod esse, nec suavitas sermonis sperari debeat.

Annot. Suavissima est Tullii sententia, gravissimaque auribus accidit Orat. pro Marcello: *Nulla est tanta vis, tantaque copia, quae non ferro ac viribus debilitari frangique possit:* quae tamen continuo peribit, simul ac pulcherrimum numerum abstuleris. Quam flaccida enim & elumbis erit, si ita efferas: *Nulla est vis tanta & copia tanta, quae non possit debilitari, frangique viribus, ac ferro*, sic in alia quoque Ciceronis Or. in Philipp. haec oratio: *Te miror, Antoni, quorum*

rum factaimitere, *eorum exitus non perhorrefcere?* abfolutiffimum reputatur numeri oratorii pulchritudinisque inde natæ exemplar. Tolle numerum, & hoc modo enuncia: *Te miror Antoni, non perhorrefcere exitus eorum, quorum imiteris facta.* Jam fcilicet decor omnis defluxit.

q. Conciliabitur vero numerus (ut prolixa multa prætereamus, quæ præceptores de hoc tradiderunt) his vero præter jam alias tradita adjumentis:

1. Oratio non folum periodis diverforum membrorum fit varia; fed ne periodis quidem jugiter inftructa fit, fed modo periodico dicendi genere utatur, modo membratim aut incifim, prout rei convenientius erit, progrediatur.
2. Periodorum claufulae diligenter circumfpiciendæ, ac numerofe concludendae funt. Aures enim extremum præfertim fpectant, & in eo acquiefcunt. Itaque etfi non anxium effe oporteat de menfura claufularum, fere tamen ultima periodorum membra longiora, & voces, quibus periodi concluduntur, frequentiffime quadrifyllabas, aut trifyllabas, imo quinque etiam fyllabarum nonnunquam deprehendas, quarum penultima longa: vox tota autem Difpondaeus, Dichoraeus, aut fimilis quispiam pes fit e. g. *Comprobavit. Transmittendum. Revocavit. Confiftunt. Putetis. Prohibuerit. Dimicaretis.*

Annot

Annot. Hæ ipſæ voces, ut numeroſae & ſonantes, tam concinne apud Ciceronem non caderent, niſi plerumque praecederet vox alia brevior, vel longior, quae velut viam parat ad poſtremæ vocis pleniorem ſonum. Sed nimirum ſatietas utique vitanda, nec facile alibi magis formidanda, quam ubi numerus ſuaviter aut magnifice cadit. Varietas autem undique arceſſenda.

3. Membra, ſi res ferat, aptis inciſis prope idem ſignificantibus amplificentur. e. g. Cic. poſt redit. in ſenat. *Quæ tanta poteſt exire ubertas ingenii, quæ tanta dicendi copia, quod tam divinum atque incredibile dicendi genus orationis, quo quisquam poſſit veſtra in nos univerſa promerita, non dicam complecti orando; ſed percenſere numerando?*

4. Longæ & breves ſyllabæ ita alternent, ut orationem perpetuo temperent, ne vel incitatior feratur, nec retardata langueſcat. Illuſtre attemperati huius numeri exemplum ex Cic. pro Marcell. allegatum: *Domuiſti gentes immanitate barbaras, multitudine innumerabiles, locis infinitas, omni copiarum genere abundantes.*

Annot. Ad gravitatem tamen & majeſtatem quandoque melius exprimendam ſyllabas longæ coacervantur, quemadmodum frequentatis ſyllabis brevibus celeritas indicatur.

5. Non tantum ſyllabæ, ſed etiam voces longiores brevioribus interpolentur & permiſce-

miſceantur. Tale eſt illud Cicer. Catil. 1. *Vivis, & vivis non ad deponendum, ſed ad confirmandum audaciam.* Item illud pro Fontejo in peroratione elegantiſſima. *Nolite pati judices, aras Deorum immortalium Veſtæque Matris, quotidianis virginis lamentationibus de veſtro judicio commoveri. Proſpicite, ne ille ignis æternus ſacerdotis veſtræ lacrimis extinctus eſſe dicatur. Tendit ad vos virgo Veſtalis manus ſupplices easdem, quas pro vobis Diis immortalibus tendere conſuevit &c.*

6. Summus numeroſæ orationis artifex Cicero diligentiſſime & attentiſſime legendus relegendusque eſt; neque id oculis & animo, aut ſubmiſſa ſolum, ſed alta etiam & elata, quandoque contenta item voce; ex qua lectione longe certius, quam ex minutiſſimis præceptionibus numeroſam orationem combibet tiro noſter.

7. Aurium peſtremo judicium ſollicite exquirendum, & accurate audiendum. Eſt enim illud, teſte eodem Cicer. ſuperbiſſimum, a cujus tribunali recte informato vix provocare in iſto genere liceat.

Annot. Ad acuendum judicium iſtud Aurium expedit, triones noſtros ſententiarum Ciceronis aliquot ſuavitate præcellentium numeros diſſipare & transformare, tum vero transformatos ad exemplar ipſum componere & trutinare, unde continuo apparebit, quanto intervallo diſcrepent.

Id

Id quod Quintilianum in breviſſimis his ſententiis feciſſe novimus: *Patris dictum ſapiens temeritas filii comprobavit.* Item hujus: *Omnes prope civitates virtute, gloria, dignitate ſuperabat.* Quam enim longe aliter caderent ita mutato numero prolatae: *Patris ſapiens dictum comprobavit temeritas filii.* Et: *Prope omnes civitates ſuperabat virtute, dignitate, gloria.*

B. *De Tranſitionibus.*

a. Satis nondum eſt ad expolitionem & concinnitatem orationis, ut membra invicem cohaereant, imo ut periodi etiam integrae deligatae inter ſe ſint, ſed neceſſe omnino eſt, ut partes etiam majores orationis, quales e. g. ſunt argumenta, argumentationes, & utrorumque partes, arctiſſime, & ita quidem copulentur, ut absque hiatu nulla illarum abeſſe poſſe manifeſte videatur.

b. Quemadmodum vero priora illa officia particulis praeſtantur, de quibus & hic & alibi diffuſius tractatum jam eſt; ita poſterius hoc Tranſitionibus, vt vocant, tantum obtineri poteſt, harumque Tractatio ad numerum & ſuavitatem adhuc ſupereſt.

c. Definitur autem: *Tranſitio eſt orationis quidam nexus, quo fit, ut apte copulata inter ſe illius membra concinne cohaereant, & unum quaſi corpus efficiant.* Nihil attinet hic monere, non de membris periodorum, aut minoribus

isthic sermonem esse, sed de membris totius orationis.

d. Potest Transitio prima partitione in *realem* & *verbalem* dividi.

1. *Realis Transitio* vocabitur, quando res in oratione obvenientes, & partes majores non solum accurate coordinantur, sed etiam tam scite & affabre ipsa elocutione tractantur, ut posteriora perpetuo ex prioribus sensim sine sensu fluant; & cum sequentibus accedentia vel imprudentibus auditoribus connexa sint.

Annot. Transitionis hoc genus sine dubio virile ac optimum quidem vel ex eo etiam capite est, quod ipsae commissurae prope omnem attentionem fugiant, atque sic oratio non arte, sed natura coaluisse videatur. Verum praeterquam, quod hoc genus subtile ingenium, subactum judicium, & multum optimorum lectionem desideret, quae res non sunt omnino omnium; etiam satietatis defugiendae caussa vel a pertissimis transitiones apertae, quas verbales appellare fas est, non omittuntur, sed ab iis, qui dexterrime faciunt, cum realibus permiscentur.

2. *Verbalis Transito* proinde est *oratio, quae dictis dicenda connectit.*

Annot. Cum oratio in definitione dicitur, verba esse illas connexionis fibulas satis intelligitur.

e. Dispescitur autem porro Transitio verbalis in *perfectam* & *imperfectam*.

1. Per-

1. *Perfecta Transitio* est, qua breviter monemur, & quid dictum sit, & quid dicendum adhuc restet. Sic Cic. pro Leg. Manil. *Quoniam de genere belli dixi, nunc de magnitudine pauca dicam.* Item Cic. pro Cluent. *Satis esse arbitror demonstratum judices, iis criminibus accusatum esse Oppianicum, ut honeste absolvi nullo modo potuerit. Cognoscite nunc ita reum citatum esse illum, ut &c.*

2. *Imperfecta Transitio* est, qua alterum tantum eorum exprimitur, quae mox imperfecta inesse diximus, nempe, quae dicenda solum praenunciat. Ita Cic. pro Rosc. *Age nunc, illa videamus, judices, quae secuta sunt.* Item pro Cluent. *Nunc jam summatim exponam, quibus criminibus Oppianicus damnatus sit.* Et pro Murena: *Nunc mihi tertius ille locus est orationis de ambitus criminibus — retractandus.*

Annot. Ne, ideo Transitionem hanc imperfectam appellari quis suspicetur, quasi manca sit, aut quoquo modo mala; sed ea solum de caussa, quod dicenda commemoret dictorum nulla mentione illata, atque adeo unum tantum membrum definitionis praetermisso altero respicere videatur.

b. Solent tirones non mediocriter laborare in formandis hujusmodi Transitionibus. Ad quam difficultatem, qua fieri potest, alleviandam, nonnulla Transitionum Ciceroniarum exempla sub aspectum sistimus. Iudicent adolescentes ipsi,

quae earum perfectae, aut quae imperfectae sint, quarumque usus & imitatio eorum necessitatibus conveniat.

Exempla Transitionum ex Cicerone decerptarum.

1. Satis mihi multa verba fecisse videor, quare hoc bellum esset genere ipso necessarium, magnitudine periculosum. Restat, ut de Imperatore ad id bellum deligendo, ac tantis rebus praeficiendo dicendum esse videatur.
2. Satis multa de turpitudine: dicam deinceps, quod proposui, de periculo.
3. Uni epistolae respondi: venio ad alteram.
4. Sed nimis multa de nugis: ad majora veniamus.
5. Verum ubi rerum testimonia adsunt, nihil opus est verbis.
6. Sed haec vetera: Illud recens, Caesarem meo consilio interfectum.
7. Sed ne forte ex multis rebus gestis M. Antonii, rem unam pulcherrimam transiliat oratio, ad Lupercalia veniamus.
8. Non dissimulat, Patres conscripti, apparet esse commotum, sudat, pallet. Sed arrogantiam hominis, insolentiamque cognoscite.
9. At etiam ausus es. (Quid autem est, quo tu non audeas?)
10. Sed jam satis multa de caussa: extra caussam etiam nimis fortasse multa. Quid restat, nisi

ut

ut orem, obtesterque vos judices, ut misericordiam tribuatis fortissimo viro?

11. Quaestura illius demonstrata, reliqua attendite.

12. Atque ut inde oratio mea proficiscatur, unde haec omnis caussa ducitur.

13. Atque ut facilius intelligere possitis Judices, quae facta sunt, indigniora esse quam haec sunt, quae diximus: ab initio, res quemadmodum gesta sit, vobis exponam.

14. Sed haec robustioris improbitatis scelera omittamus, loquamur potius de inquissimo genere levitatis.

15. Id quo facilius facere possitis, dabo operam, ut a principio res quemadmodum gesta sit, cognoscatis.

16. Sed finis sit: neque enim prae lacrymis jam loqui possum; & hic se lacrymis defendi vetat.

17. Sed quoniam emersisse jam e vadis, & scopulos praetervecta videtur oratio mea, perfacilis mihi reliquus cursus ostenditur.

18. Plura de illo archipirata dixi, quam volui, & tamen ea quae certissima sunt, hujus criminis argumenta praetermisi.

19. Age vero, ne semper forum, subsellia, rostra, curiamque meditemur.

20. Ad ejus Tribunatum, qui ad sese jam dudum vocat, & quodammodo absorbet orationem meam: contento studio, cursuque veniamus.

21. Atque haec oblectationis, illa necessitatis.

22. Quibus rebus expositis, satis docuisse videor, homines natura quanto omnes anteirent animantes.

23. Sed quid ego longinqua commemoro?

24. Magna sunt haec, vel potius maxima, jam vero quanto majus videbitur?

25. Multa hujusmodi proferre possem: sed genus ipsum videtis.

26. Nolo in hac re multus videri.

27. Sed quid ego haec aut tam levia, aut tam minima recordor?

28. Jam vero ista etiam notiora, quanto se opere custodiant bestiae.

29. Multa praetereunda sunt, & tamen multa dicuntur.

30. Vereor ut hoc, quod dicam, perinde intelligi auditu possit, atque ego ipse cogitans sentio.

31. Sinite me illa minora, ac quotidiana praetermittere.

32. Illud tamen, quamquam ad exitum festinet oratio, praetermittere nullo modo possum.

33. Verum haec missa facio; illud quaero.

34. De exordio satis dictum est, deinceps ad narrationem transeamus.

35. Quod ad definitiones, hactenus; reliqua videamus.

36. Nunc reliquorum oratorum aetates persequamur.

37. Tem-

37. Tempus eſt ad ceteras partes orationis proficiſci. Deinceps igitur de diſpoſitione dicemus.

38. De ſtatutis diebus dixi: nunc de annalibus dicam.

39. Haec de hero: quod ſequitur, de pecore.

40. De multitudine quondam quod ſatis eſt, admonui, de obſcuritate pauca dicam.

41. Sed ut omiſſo principio rem ipſam aggrediamur.

42. Hactenus de principe: quod ſequitur, de monſtro.

43. Jam quantum illud eſt, quod in occupationibus ſummis nunquam intermittis ſtudia doctrinae?

44. Utinam vero mihi ſatis eſſet ad dicendum vel facultatis, vel temporis.

45. Hic, hic, auditores, animos ad inſignis facti memoriam ſempiternam erigite.

46. Sed haec utrumque ferenda: hoc vero quis ferat?

47. Audiſtis graviſſima: audite nunc graviora.

48. Sed haec privatim: nunc quae publice geſta ſunt, videamus.

49. Verum haec miſſa facio; illud quam —

50. nihil jam dico de iſto ſcelere.

51. Poſtularet hic locus: ut dicerem de —

CAPVT II.

De ornatu oratorio.

a. Ornatus oratorius non jam elegantiis illis contentus eſt, quibus ornatam orationem quamcunque effici alias monuimus, ſed ſublimioris ordinis decora requirit.

b. Accedunt haec praeſertim ex figurarum luminibus, ſine quibus nihil extans in oratione, & nulla eloquentia in oratione expectari, imo ne concipi quidem poteſt.

c. Sed quoniam figurae non in propriis ſolum verbis; verum non raro etiam in translatis fiunt, & aliunde translationes per ſe ipſas eximia prorſus orationis ornamenta ſunt; hinc de translationibus primum, tum de figuris tractandum nobis eſt.

§. I.

De Tropis.

a. Tropus vox derivata a graeco verbo Τρεπω, id eſt, *transfero*, *muto*; eſt nominis vel ſermonis a propria ſignificatione in alienam cum virtute translatio.

1. *Annot.* Inopia & neceſſitas procul dubio troporum uſum primum docuerint, cum tot rebus ideisque noſtris juſte exprimendis verba propria deeſſent. Inde factum eſt, ut vel hodie adhuc non-

nonnullae voces translatae propriarum loco rebus haeserint. Ita nimirum: *gemmam aut oculum vitis* hodiedum appellamus, *pedem montis*, *sinum maris*, *errore labi* &c. Coeperunt vero postea, quae ob necessitatem inventa fuerunt ornatus, dignitatis, ac jucunditatis etiam caussa frequentari.

2. Dum translationem cum virtute fieri volumus, non omnis & cujuscunque generis fortassis de trivio sumtas translationes probamus, sed eas tantum, quae orationi pondus, dignitatem, venustatem, aut suavitatem conciliant. *Quantum animo vulnus accepit*, Plinius ait, translato a carne ad animum vulnere, majori certe cum pondere, quam si dolorem posuisset; quod est cum virtute transferre.

b. Pro diversa ratione, qua translationes hujusmodi fieri possunt, varia item oriuntur troporum genera, de quorum partitionibus, numero, & vi hic disputare non vacat, nec refert. Certe nobilissimi eorum, & in usum frequentiorem recepti communi sententia sunt: *Metaphora*, *Metonymia*, *Synecdoche & Ironia*, quos seorsim singulos primum persequi, tum minorem troporum familiam lustrare necesse est.

A. *De Metaphora.*

a. *Metaphora* (Latinis translatio) est vocis propter aliquam similitudinem translatio. Sic qui fortunam *vitream* dixerunt, fragilitatis similitudinem; qui *advolare* pro celeriter accurrere, aut *confluere* multitudinem, pro concurrere adhibuerunt, celeritatis aut multitu-

dinis similitudines ob oculos praepositas habuerunt.

Annot. Quoniam sine similitudine haberi non potest metaphora, discrimen inter haec duo vix aliud assignari potest, quam quod similitudo plerumque apertis & expressis verbis enuncietur; metaphora autem tacitis, tectisque. Metaphora enim ut Cicero l. 3. de Orat. ait: *Similitudinis est ad verbum unum contracta brevitas*. Itaque si dixeris: *Vites emittere sua germina tanquam gemmas*, similitudo est; si contra: *Vites emittere gemmas suas*; aut etiam *gemmare vites* dicas, metaphoram protulisti. Sic porro: *Feci eas res, quibus velut fundamentis nititur respublica*, aperta similitudo est; cum tecta erit, dicesque: *Fundamenta jeci reipublicae*, non jam similitudo, sed metaphora est. Ita denique similitudinem hanc: *Tempus servitutis, quo res gerebatur coecorum more*, brevissima elegantissimaque metaphora expressit Cic. famil. XIII. 25. *Coecum tempus servitutis* &c.

b. Metaphorae ex omnibus illis rebus divinis & humanis, coelestibus & terrenis formari possunt, unde similitudines deduci valent.

Annot. Monent acuti praeceptores: optimas & efficacissimas metaphoras esse, quae ab *oculis* tanquam sensu omnium acerrimo, tum quae a *motu*, *vita*, *sensuque* deducuntur. Sic Cic. *Cognovi rem ad arma spectare*. Idem. *Perculsa & prostrata bello jacent omnia*. Idem. *Me nives, frigora, imbres detruserunt. Litterulae meae tui desiderio oblanguerunt. Litterae oculos paullum sustulerunt. Dixi sine te omnia mea muta esse. Excita e somno tuas litteras. Oratio claudicat, fluctuat, est sine nervis ac viribus. Oratio excurrit aequaliter*

liter constanterque ingreditur &c. & infinita hujusmodi, quae apud Ciceronem nulla non pagina invenies.

c. Circumspectio tamen & judicium in formandis metaphoris, quod prudentiae erit, adhibeatur, ut ad consilium dicentis quam maxime accommodetur.

1. *Annot.* Itaque cum illustrare quid & extollere vult Orator; ex splendidis, non ex vilibus & abjectis similitudinibus conficiet metaphoras suas, cum obscurare autem desiderat, ex obscuris & tenebris repetet; cum terrere, horrenda & terribilia conquiret &c.

2. Profecto ad splendorem pertinent haec Ciceronis: *Virtutis tuae lumen eluceat. Theatrum gloriae, flumen ingenii, splendor orationis Gloria circumfluere, florere aetate, gratia, opibus* &c. Ad terrorem & vehementiam illa a Cicerone accommodata sunt: *Rei familiaris naufragia, orbem terrarum ardere bello.* Tanquam ex specula aliqua prospexi *tempestatem futuram. Fulmen* pro tristi nuncio, *Turbo* vel *incendium* pro seditione, *Tuba belli civilis* pro concitatore. *Scopulus patrimonii, Flamma civilis discordiae, Vox perniciosa intonuit* &c. Sic desidiam idem Cicero explicat: *Amicum congelasse otio. Veternus civitatem occupat. Crimen refrixit. Ardor restinctus est, Studium deferbuit* &c. Denique aversationem & contemtum hujus generis metaphoris extulit Cicero: *Pestes hominum laude aliena dolentium. Exaruit vetus urbanitas, Sententiam urbis exhauriri*, sc. plebem miseram. *Lutum, coenum, sordes* pro homine improbo. *Monstrum, portentum* &c.

d. Clas-

d. Classes, ad quas omnes cujuscunque generis metaphorae revocantur, quatuor passim duce Fabio assignantur:

1. Cum a re animata verbum transferimus ad aliam rem animatam. Sic Livius *Scipionem a Catone solitum allatrari* ait. Ubi vocem *allatro*, quae cani propria est, a cane ad hominem, ab animato ad aliud animatum translatum esse patet.

2. Cum a rebus inanimis ad alia itidem inanima vox transfertur, quale est illud Poëtae: *Classique immittit habenas*, id est, funes seu rudentes. Item illud: *Orationis vela contrahamus*. Ubi liquet, vocem *habenas* aurigationi propriam ad navigationem; & *vela* ex navibus ad orationem, ubique ab inanimo ad inanimum aliud translatum fuisse.

3. Cum a re inanima ad animal fit translatio, ut illud Catulli: *O qui flosculus es juvenculorum*: ubi vides, *florem*, qui res inanima est, pro juvenculo eximio sumi, qui utique animal est. *Duo fulmina belli Scipiades.*

4. Cum contra ab animali sumtum ad inanima transfertur, & ipso usu applicatur. Hoc quemadmodum rursus in Poëta est: *Sed inscius alto accipiens sonitum saxi de vertice,*

tice Paſtor. In qua ſententia vocem *vertice*, qui homini tantum competit, ſaxo attributum videmus.

Annot. Inter omnes has metaphoras teſte eodem Fabio mira quadam ſublimitate praecellit illud metaphorae genus; in quo rebus ſenſu carentibus actum quemdam & animos damus, quo modo Virgilius fluvio indignationem impertiit animis tantum convenientem: *Pontem indignatus Araxes*, & Cicero gladio actiones & ſenſus non niſi ratione praeditis propria, pro Ligar. *Quid enim tuus ille, Tubero, diſtrictus in acie Pharſalica gladius agebat? Cujus latus ille mucro petebat? qui ſenſus erat armorum tuorum.*

e. Ut vero moderatus, opportunus, & ſuis limitibus definitus metaphorarum uſus orationem mirifice illuſtrat, ita cautiſſime eſt providendum, ne illius uſus in vitia prolabatur. Numerantur autem in vitiis metaphorae:

1. Si ſint frequentiores; taedio enim tunc, & ſatietate complent, neque jam ornamenta, ſed tenebras & obſcuritatem orationi affundunt, & prope in aenigmata tranſeunt.
2. Si ſint humiliores, aut fortaſſis plane ſordidae a re quapiam deformi & abjecta petitae. Primi cenſus eſt: *Saxea mundi verruca* pro monte aut rupibus poſita; & quod Tertullianus alicubi uſurpavit: *Generale naturae lixivium* pro diluvio; alterius: *Perſecuiſti reipublicae vomicam* mortem ſceleratorum intelligendo, & *Stercus*

cu-

curiae Glauciam appellando, quae exempla ipse Cicero allegat.

3. Si sint duriores, id est, longius accersitae, ut qui *capitis nives* dixit; & quem Horatius taxat, quidam M. Furius Bibaculus ita canens: *Jupiter hibernas cana nive conspuit alpes.* Item; *Mortuo M. Catone pupillum relictum esse senatum.* Quae omnia duriora sunt, quam ut delicata auris oratoria ferre possit.

Annot. Cum veremur quandoque, ne durior & demissior auditori accidat aliqua translatio, vel etiam audacior, molliemus ac mitigabimus illam his aut simi ibus formulis: *Vt ita dicam, quasi-pene - si ita loqui fas est &c.* Ipse Cicero mox relatam translationem praemunivit: *Pupillum, ut ita dicam, relictum esse senatum.* Et idem ad famil. XIII. 10 *Qua commendatione quasi amicitiae fores aperiuntur. Debet* namque eodem auctore *verecunda esse translatio*, ut precario, non vi venisse videatur.

4. Si minime constantes & secum discordes sint metaphorae, hoc est: si ab uno translationis genere in aliud deflectant, & quod vulgo jactatur, ab incendio inchoent, in tempestate autem desinant.

Annot. Non ipsi summi latinitatis seu solutae seu ligatae principes a vitiosis his metaphoris liberi semper sunt. Sic namque Cicero I. 2. de Orator. imitationis effectum describens: *Ut cum in sole ambulo, etiamsi aliam ob caussam ambulem, sit tamen natura, ut colorer:*

sic

ſic cum iſtos liberos ſtudioſus lego, ſentio orationem meam illorum cantu quaſi colorari. Quid *cantui* cum *colore* convenit? Et Hor. Ep. I. *Nemo adeo ferus eſt, ut non miteſcere poſſit, ſi modo culturae patientem accommodet aurem.* Vide, quam diſparata congeſta ſint, & ter ab eodem translationis genere aberratum. *Ferarum* eſt manſueſcere & cicurari. *Miteſcunt* fructus acerbi & immaturi, *Cultura* agrorum eſt, diſciplina ferarum. Sed nempe quandoque bonus dormitat Homerus

5. Si nimium poëticae ſint translationes; neque enim, quae poëtis aut voluptatis excitandae cauſſa, aut metrorum neceſſitate libera ſunt, ea continuo etiam oratoribus permitti poſſunt. Itaque caveat orator cum Virgilio dicere: *Volucres pennis remigare, liberum aëra ſecare,* aut cum Horatio de Euro vento: *Per Siculas equitavit undas.*

f. Quoties Metaphora aliqua eadem pluribus verbis longius producitur, *Allegoria* vocatur, quam latine inverſionem interpretantur, propterea quod non ſolum aliud verbis, aliud ſenſu; ſed ſaepe etiam contrarium oſtendat. Itaque recte ſenſerunt, qui Allegoriam appellarunt continuatam metaphoram. Eſt autem allegoriarum genus duplex, nimirum allegoria *pura* & *mixta*.

1. *Allegoria pura* eſt, cujus verba omnia aut fere omnia ſunt translata. Sic Cic. ad Attic. IV. 2. de ſuis inimicis: *Idem illi, qui mihi pennas inciderant, nolunt eaſdem,*

re-

renaſci, ſed ut ſpero, jam renaſcuntur. Item famil. IX. 15. *Sedebamus in puppi, & clavum tenebamus; nunc autem vix eſt in ſentina locus.* Reſpublica hic eſt navis, Cicero Nauta. Denique pro Quinctio tali allegoria queritur, ſe cauſſam prius debere defendere, quam accuſator oppugnet: *Ita fit, ut ego, qui tela depellere, & vulneribus mederi debeam, tum id facere cogar, quum etiam telum adverſarius nullum jecerit. &c.*

Annot. Hoc genus allegoriae periculoſius eſt, quam ut paſſim commendari mereatur. Facile enim longius filum unum idemque proſecuti in obſcuritatem, affectionem, aut quod pejus eſt, in ineptias aliquas delabimur.

2. *Allegoria mixta* eſt, quando verbis translatis interſeruntur propria, mentem ſenſumque aliquando apertius declarantia. Sic Cic. ad Attic. IV. 16. *Amiſimus, mi Pomponi, omnem non modo ſuccum ac ſanguinem, ſed etiam colorem & ſpeciem priſtinam civitatis,* Vox *Civitatis* indicat, de cujus Corporis valetudine hic agat. Inſignis plane ad hoc propoſitum eſt locus ille Ciceronis in Piſonem: *Neque tam fui timidus, ut qui in maximis turbinibus ac fluctibus reipublicae navem gubernaſſem, ſalvamque in portu collocaſſem, frontis tuae nubeculam, aut collegae tui contaminatum ſpiritum perhorreſcerem. Alios ego vidi ventos, alias proſpexi animo procellas, aliis impendentibus tempeſtatibus*

non

non cessi &c. Videmus vero hic permistis vocibus: *reipublicæ*, *frontis tuæ*, *collegæ tui* omnia satis nitide declarari.

a. *Annot.* Sit metaphorae usus modicus inculcatur, facile consequi videmus, longe parciorem allegoriarum esse posse, ubi de gravibus præsertim, seriisque thematis agitur; nam in argutis & festivis, ubi delectatio præcipue spectatur, liberaliorem fortassis esse licet.

b. Cum adhibebuntur allegoriæ, ea præcipuarum una sit cautio, ne discordes secum ipsis sint, sed a principio ad finem sibi constent, quod idem de methaphora jam supra monitum est. Peccaretur certe gravissime in regulam hanc, si rempublicam e. g. *Seditionis fluctibus deflagrare aut concidere* diceres. Recte contra observatæ prœceptionis istius illustrissimum exemplum habetur apud Horat. L. I. ubi de bello civili ita:

O navis, referent in mare te novi
Fluctus. O quid agis? fortiter occupa
Portum. Nonne vides ut
Nudum remigio latus
Et malus celeri saucius Africo
Antennaeque gemant? ac sine funibus
Vix durare carinæ
possint imperiosius
Aequor? Non tibi sunt integra lintea &c.

Undique in hac allegoria egregie e capite ad calcem consentiunt omnia; *navis* respublica est. *fluctus* civile bellum, *portus* pax & concordia, *remigium* milites, *nautae* magistratus, *malus* præcipui duces &c.

g. Allegoria pura in obscuritatem delapsa *ænigma* appellatur, & absque omni dubio in vitio est,

quo tamen poëtæ nonnunquam, aliquando etiam oratores utuntur.

B. Metonymia.

a. *Metonymia* (Græci aliter Hypallagen, Latini transnominationem vocant) eſt, cum vox aliqua cognata & vicina pro altera adhibetur.

b. Quam lata igitur cognatio & vicinia vocum eſt, tam vaſtus etiam hujus tropi uſus eſt. Fere tamen Metonymiae omnes ex ſequentibus fontibus oriuntur:

1. *Cauſſa* vel *quaſi cauſſa* ponitur pro effectu; nonnunquam etiam *Auctor*, *Inventor*, *Præſes*, pro re effecta, inventa, aut arte ſcientiaque, cui præſidet, ponitur. Hujus generis ſunt locutiones: Cic. ad famil. IX. 11. *Vitemus oculos hominum, ſi linguas minus facile poſſumus. Agnovit manum ſuam*, id eſt, ſcripturam. *Vereor linguam hominis*, id eſt, maledicentiam. *Movit mihi bilem*, id eſt iram &c. Sic item: *Homerum legi*, aut *Virgilium*, id eſt, Poëma Homeri vel Virgilii. Cic. pro Mercell. *Quos amiſimus cives, eos Martis vis perculit, non ira victoriæ.* Mars pro bello. Sic item: *Vario, dubio Marte; a muſarum cultu abhorrere, propitia Minerva &c.*

Annot. Praeſidum aut Inventorum nomina non paſſim & promiſcue metonymice adbiberi poſſunt; ſunt enim eorum aliqua, quae poëtis

tan-

tantum; alia quae oratoribus etiam permittuntur. Sic *Mars* pro bello, *Musæ* pro ſtudiis & artibus: *Minerva* pro ſcientiis, apud oratores ſaepiſſime; contra *Ceres* pro frugibus, *Bacchus* aut *Liber Pater* pro vino; *Vulcanus* pro igne &c. a poëtis perpetuo; ab ornatoribus vix unquam aſſumuntur. Quo in genere auctoritas & uſus conſulendus eſt.

2. Vice verſa *effectus* vel *quaſi effectus* pro cauſſa ponitur, ut cum dicimus: *ſcelus comprehenſum eſt*, id eſt, ſceleratum; *licentia, ſeditio compreſſa eſt*, id eſt, ſeditioſi; *victoria natura inſolens*, id eſt, victor. Cic. pro Mil. *Si mors P. Clodii ſalus veſtra fuerit*, pro cauſſa ſalutis veſtræ &c. Sic *vitia* pro hominibus vitioſis; *virtutes* pro virtute præditis; Sic *dedecus*, *peſtis*, *pernicies* &c. pro auctore dedecoris &c.

3. Non raro *ſignum* pro re ſignificata accipimus. Sic *toga* pacem, *ſagum* vel *arma* bellum, *laurea* victoriam, *ſceptrum*, *purpura*, vel *corona* regnum, *faſces* conſultatum, aut etiam hodie quemcunque magiſtratum denotant. Ita Cicer. I. 3. de Orator. *Vir omnibus belli ac togae artibus eminentiſſimus*.

4. *Poſſeſſor* item ſæpe pro re, quam poſſidet, ponitur. Huc pertinet: *Jam proximus ardet Ucalegon.* Virg. id eſt, Ucalegontis domus. *Ad te ibam*, puta, in domum tuam. *Hannibal ad portam*, intellige Hannibalis exerci-

tum. *Amici eum devorarunt*, *ſcilicet fortunas illius*.

5. *Continens* denique pro contento frequenter ſubſtituitur. Talia ſunt; *Campus* pro comitiis, *curia* pro ſenatu, *forum* pro cauſſis, *theatrum* pro ſpectatoribus, *caſtra* pro militibus; *Urbs bene morata*, id eſt, urbis incolæ. *Sæculum felix*, ſcilicet homines hoc ſæculo viventes. *Poculum* epotum, quod poculo continebatur. *Roma jubet*, *Italia teſtatur*, nempe Itali, Romani. *In divitum menſis ſylvæ & maria*, puta, feræ ac piſces &c. *Vina coronant*, id eſt, ſcyphos. Cic. ad Attic. *Domus te noſtra tota ſalutat.*

C. De Synecdoche.

a. *Synecdoche* (latine Intellectio) eſt tropus, quo unum ex altero intelligitur.

b. Sunt modi complures, quibus effici tropus iſte conſuevit, qui omnes ad ſequentia capita reducuntur:

1. Ponitur *Genus* pro ſpecie ſub tali genere contenta, e. g. *Mortales* pro hominibus, *crimen* pro furto, *virtus* pro temperantia, *ales* pro quacunque ave &c.

2. *Species* pro genere fere tantum a poëtis uſurpatur. Sic *Canis Umber* pro quovis venatico cane. *Phalernum* aut *Maſſicum* pro

pro vino exquisite bono &c. *Mullus* aut *Rhombus* pro quocunque pisce pretioso. *Ostrea*, *boleti* pro quibuscunque cupediis. *Auster* pro quocunque vento.

Annot. Exemplis frequentibus, non definitione adolescentibus generis ac speciei, notionum scilicet philosophicarum intelligentia hucusque declaranda & illustranda erit.

3. *Totum*, pro parte aliqua talis totius adhibetur. Sic pro corpore aut cineribus homines nominamus; Hic situs est *Scipio Sylla*, quod in epitaphiis plerumque locum habet. Sic Cicer. in Pison. *Me cuncta Italia, me omnes ordines, me universa civitas Consulem designavit*, id est: aliqui ex tota Italia, delecti ex omnibus ordinibus &c. Sic. Virgil. *Fontemque ignemque ferebat*; scilicet aquam.

Annot. Rarior modi istius usus est apud oratores, nisi quod in amplificationum ardore nonnunquam eo utuntur; apud poëtas longe frequentior.

4. *Pars* idem ad significandum suum totum non raro assumitur. *Parietes*, *tectum* pro domo, *vela* pro navibus, *caput* vel etiam *os* pro homine, *ingenium* pro homine ingenioso, *Capitolium* pro Roma. Sic: *Quot capita, tot sententiae &c.*

5. *Materia* significat sæpe rem ex materia hac constantem & confectam. Sic *fer-*

rum pro armis, *pelles* pro tentoriis, *aes*, *argentum*, *aurumque* pro signis argenteis; aureis, vel etiam pecunia sumimus.

6. *Unius* appellatione plures intelliguntur, v. g. *Hostis* habet muros, *Romanus* praelio victor, *Gutta* cavat lapidem &c. Cic. famil. VIII. 5. Si *Parthus movet aliquid*, intellige: Parthi, guttae, Romani, hostes &c.

Annot. Aliquando etiam plurium nomine singuli tantum veniunt, quod poëtis frequentius in usu est: *Adigit per pectora ferrum.*

7. *Antecedentia* quandoque in consequentium cognitionem ducere debent, id quod pariter poëtis fere tantum usitatum. Sic *Aratra jugo referunt suspensa invenci*, scilicet vesper est. *Hirundo redit*, ver igitur adest. *Nulla jam arboribus folia*, ergo autumnus praesto est.

c. Reducitur ad hunc intellectionis tropum percommode, quam aliqui seorsum tractare consueverunt, *Antonomasia* (latine *pronominationem* dixeris), cum nempe ponitur nominis cujusdam loco aliquid, quod illi per excellentiam, aut excellentiæ similitudinem convenire videtur. Licet illam in duo genera partiri: *propriam* videlicet & *impropriam*.

Antonomasia, propria est, cum nomen appellativum aliquod, ex se pluribus cummune-

ne, uni alicui propter excellentiam (quod Graeci κατ' ἐξοχὴν vocant) attribuitur. Sic *Poëta* Homerum aut Virgilium, *Orator* Demosthenem aut Tullium, *Africanus* Scipionem, *Urbs* Romam, *Fax Asiæ* Helenam, *Terror Romanorum* Hannibalem, Urbem Romani nominis *æmulam* Carthaginem donotat.

2. *Antonomasia impropria* vocari merebitur, quando nomina propria ob aliquam indolis factorum, aut excellentiae similitudinem ad unum vel plures alios compellandos transferuntur. Sic astutos vafrosque *Ulysses* appellamus, sapientibus *Nestoris*, litterarum patronis *Moecenatum*, bonis principibus *Trajanorum* aut *Antoninorum* nomina applicamus. Denique avaros nonnunquam *Crassos*, dissolutos *Curios*, severae virtutis homines *Catones*, incorruptos *Fabricios*, innocentes *Mettellos* &c. nominamus.

D. De Ironia.

a. *Ironia* (quod Fabius latine *Diversiloquium*, *dissimulationem & illusionem* interpretabatur) est verbi vel sermonis proprio significatu ad contrarium cum virtute traductio.

b. In Ironia aliud aperte dici, aliud innui debet, quod orationis genus præcipue Socrati in usu & deliciis fuisse ajunt. Itaque erit ironia, si quis simulata laudatione salse ac inge-

niose perstringat hominem opprobriis dignissimum; quod fecit Cic. I. V. in Verr. *Quid ais bone custos, defensorque provinciae?* (de Verre ignavo & expilatore Siciliae loquens) *O praeclarum imperatorem, nec jam cum M. Aquilio fortissimo viro, sed vero cum Paullis Scipionibus, Mariis conferendum* &c. Sic Juvenalis item impiam Aegyptiorum superstitionem irridet eleganti ironia Satyr. 14.

Oppida tota canem venerantur, nemo Dianam?
Porrum & cepe nefas violare aut frangere morsu;
O sanctas gentes, quibus haec nascuntur in hortis
Numina?

Videmus nimirum regnare hic undique salsam & amaram irrisionem.

c. Est autem Ironia duplex: *aperta & tecta.*

1. *Ironiam tectam* fas est appellare illam, quae ambiguitate aliqua nititur. Venustiores ceteris censentur hae Ironiae, quae ambigua voce una vel pluribus continentur; solent enim fere acuta videri, ac proinde delectare, si qua ea ambigua dicuntur. Sic in Neronem matricidam, qui se ab Aenea oriundum gloriabatur, facete simul ac amare lusum est a Poëta apud Suetonium:

Quis neget Aeneae magna de stirpe Neronem!
Sustulit hic matrem, sustulit ille patrem.

Sic

Sic item Martialis plagiarium Paullum lepide ridet:

Carmina Paullus emit, recitat ſua carmina
Paullus,
Nam, quod emas, poſſis dicere jure tuum.

Annot. Sunt & aliae plurimae hujus claſſis ironiæ tectae, quae ambiguitate quidem nulla nituntur, ſed tamen aliud longe dicunt, quam verbis dicere videantur. Elegantiſſimus eſt locus Ciceronis pro domo ſua: *Aſpice, aſpicite, Pontifices hominem religioſum*, (Clodium) & *ſi vobis videtur, monete eum modum eſſe quemdam religionis, nimium eſſe ſuperſtitioſum non oportere.* Triplex autem harum ironiarum cognoſcendarum indicium vulgo aſſignatur:

1. *Pronunciatio*, cum voce, vultu, aut geſtu contrarium, quod verbis continetur, explicatur.

2. *Perſona*, cum ipſa perſona ſatis declarat, non niſi contraria eorum, quae dicuntur, congruere poſſe; ut ſi de ruſtico importuno loquaris: *En ſcitum hominem & urbanum, delicias meras & leporem! &c.*

3. *Natura*, ſi ea proferas, quæ natura repugnant rei, de qua dicuntur, vel non congruant cum moribus illius, cui attribuuntur: Sic ſi de manifeſte timido ac fugaci prædices. *O virum ſtrenuum & columen exercitus noſtri, quem nullus unquam hoſtis viderit!* &c. Repugnat certe ſtrenuum eſſe, cum hoſtis viſus non eſt. Sic Cicero de Clodio homine palam iniquiſſimo & impudentiſſimo dixit: *Quid hoc homine ſanctius? quid diligentius? - - integritas te tua purgavit, pudor eripuit, vita anteacta ſervavit.*

2. *Ironias apertas* vocamus eas, quæ illusionem per particulas certas retegunt, & mentem loquentis declarant. Particulae porro hac in re usitatiores sunt: *Scilicet, nimirum, si superis placet, nempe, credo. ut ajunt, &c. &.* Sic Ferent. *Id populus, curat scilicet*; & Dido apud Virgil.

Scilicet is Superis labor est, ea cura quietos
Sollicitat &c.

d. Ironiae annectitur *Sarcasmus*, qui irrisio itidem amara est, sed aperta, & nulla verborum significatione in contrarium mutata. Exemplum narrat Cicero famil. X. 32. Cum Fabius quidam jam defossus clamaret: *Civis Romanus natus sum*, respondit saevissimus Quæstor Verres cum Sarcasmo: *Abi nunc, populi fidem implora.* Talis est idem apud Virgilium Aeneid. II. Pyrrhi, cum Priamum sibi exprobrantem interficeret; Sarcasmus:

—— *Referes ergo haec, & nuncius ibis*
Pelidae genitori: illi mea tristia facta,
Degneremque Neoptolemum narrare memento.
Nunc morere.

E. *De reliquis Tropis.*

a. Numerantur a plerisque præeceptoribus in tractatione troporum aliqui præterea, qui etsi fortasse minus nobiles sint, usuque rariores, quam ii, quos hucusque tradidimus, imo ex-

non-

nonnullorum ſententia nec omina quidem troporum metiri, tamen non expedit eos ab adoleſcentibus noſtris penitus ignorari. Sunt autem fere ſequentes:

1. *Onomatopoeia*, eſt fictio nominis ad imitationem ſoni naturalis *Graecis inter maximas habita virtutes*, inquit Quintilianus, *nobis vix permiſſa.* Itaque tropi hujus uſus non extenditur ultra ea nomina, quae ab auctoribus linguae ad nos pervenerunt. Talia ſunt: *hinnitus* equorum, *mugitus* boum, *balatus* ovium, *ſibilus* ſerpentum &c. &c.

2. *Catachreſis*, vocis abuſio dicitur, cum ſcilicet verbo ſimili pro certo & proprio, quod plerumque deeſt, licenter utimur. Sunt iſtius generis: *aedificare* equum, pro fabricare; Cic. pro Sext. Roſc. *Sin a vobis, id quod non ſpero, deſerar.* Ubi ſpero pro metuo poſitum. *Acetabula* vaſa appellamus, quidquid contineant; & *Pyxides*, cujuscunque materiae ſint.

3. *Metalepſis* (latine Transſumtio,) qua ex una voce ad aliud intelligendum per quosdam quaſi gradus accedendum eſt. Vulgo unicum adfertur exemplum Poëtae: *Poſt aliquot mea regna videns mirabor Ariſtas*; id eſt, poſt aliquot annos; ſunt enim ex ariſtis ſpicae, ex ſpicis ſegetes, ex ſegete anni intelligendi.

4. *Pe-*

4. *Periphrasis*, (latine Circum locutio) est oratio, quæ pluribus verbis aliquid circumscribit, quod paucioribus efferri poterat. Sic breviter dici poterat: Scipio debellavit Carthaginem; quod diffusius Periphrasi enunciatum est: *Scipionis providentia Carthaginis opes fregit.*

a. *Annot.* Periphrasis quandoque necessitatis caussa adhibetur, quoties nempe dictu deformia operit. Sic Sallustius: *requisita naturæ* dixit. Interim propter ornatum assumatur, quod apud oratores non est rarum, ut infra de amplificatione videbimus; apud poëtas frequentissimum. Sic Virg. Aeneid. 2.

Tempus erat, quo prima quies mortalibus aegris incipit, & dono Divum gratissimo serpit, &c.

b. Quemadmodum omne illud, quod significari brevibus potest, & tamen cum ornatu latius ostenditur, *Periphrasis* vocatur; ita cum in vitium incidit inani exuberantia, *Perissologia* dicitur.

5. *Hyperbole*, vocatur a Fabio ementiens superjectio, cum res ita augetur vel minuitur: ut fidem omnem superet. Familiaris hie ornatus oratoribus non minus est, quam poëtis Sic Cic. pro Marcel. Pompejum extollit: *Nec vero disjunctissimas terras citius cujusquam passibus potuisse peragrari, quam tuis non dicam cursibus, sed victoriis lustratae sunt.* Et l. 1. in Verr. minuit: *Hora nulla vacua a furto, scelere, cupiditate, flagitio reperietur.* Ita Virgil. quoque 1. Aeneid *Geminique minantur in coelum*

lum ſcopuli. Et iterum. 7. Aeneid.
Illa vel intactæ ſegetis per ſumma volaret
Gramina, nec teneras curſu læſiſſet ariſtas.

a. *Annot.* Menſura quædam in hyperbole ſervanda eſt; quamvis enim ſit ultra fidem, non tamen eſſe debet ultra modum; & quamvis mentiatur hyperbole, nec tamen mendacio fallere vult.

b. In magno tamen orationis æſtu condonatur quandoque oratori ipſa immoderatio quædam in hyperbolis. Ita Cic. pro domo ſua in Clodium: *Cur ille gurges helluatus tecum ſimul reipublicae ſanguinem, ad coelum tamen extruxit villam in Tuſculano viſceribus aerarii?* &c.

c. Item libertas quaedam major permittitur in ridiculo, cum ibi veritas non quaeratur. Sic rurſum Cicero ad Attic. I. 14. *Noſti jam in hac materia ſonitus noſtros: tanti fuerunt - - quod eos usque iſthinc exauditos putem.* Scilicet ex Circo-Flaminieo Roma in Graeciam usque, ubi Atticus degebat.

d. Si tamen hyperbole juſto audacior duriorque videatur, temperatione aliqua eſt mollienda. Sic Cicero famil. XIV. 7. *Statim ita ſum levatus, ut mihi Deus aliquis medicinam feciſſe videatur.* Et pro Plancio: *Quid ego de me, de fratre meo loquar? Quorum honoribus agri, prope dicam, ipſique montes favebant.*

6. *Hyperbaton*, (latine Transgreſſio,) cum orationis ordinem conſuetum ornatus & elegantiae cauſſa permutamus; id quod numeri oratorii cauſſa fere ſemper curare oportet. Ita e. g. Cic. *Quod erit cunque viſum*

ſum, age — *Quum puerorum formas magno hic opere miraretur. Animadverti judices omnem accuſatoris orationem in duas diviſam eſſe partes:* non *in duas partes diviſam eſſe*, quod rectum erat, ſed durum & incomtum. Verum de hoc pleraque aut in Syntaxis ornatae præceptionibus, aut hic ſupra: ubi de numero oratorio in verbis tractatum eſt, continentur.

b. Refertur adhuc in locum hunc a nonnullis *Epitheton* (latinis Appoſitum) quod cum non perpetuo vertat aliquid, fere ex troporum numero rejicitur ab aliis. Magna tamen cura in eorum delectucommendendaeſt adoleſcentibus, quoniam apud oratores ephitheta, niſi ab aliis efficiatur aliquid, merito redundare dicuntur. Efficitur porro aliquid, ſi illud, cui apponuntur, demtis epithetis minus eſt: id quod tum praecipue locum habet, cum epitheta translata deliguntur. e. g. *O deformem libidinem! cupiditaseffrenata, inſanae ſubſtructiones, turpis egeſtas, triſtis ſenectus, &c.*

Annot. Ut nuda & incomta eſt ſine appoſitis oratio, ita longa, impedita, & odioſa fit, cum multis aut ineptis oneratur.

2. Poëtae, quaemadmodum ſemper & ubivis, ſic in hoc quoque genere liberiores ſunt ac copioſiores. Itaque ſaepe contenti, ſi modo epitheta conveniant verbo, cui apponuntur, nequaquam repre[h]enduntur, cum *dentes albos*, *humida vina*, aut hujus generis plura proferunt.

§. II.

§. II.

De Figuris.

a. *Figura* (Graecis Schema) eſt conformatio quaedam ſermonis elegantior, aut modus quidam loquendi illuſtrior, a communi loquendi conſuetudine remotus.

b. Partiti ſunt praeceptores omne figurarum genus in duas claſſes, in earumque una *figuras verborum*, in altera *figuras ſententiarum* conſtituerunt.

1. *Figurae verborum* autem eae vocantur, quarum tota elegantia aut dignitas in verborum certa conformatione conſiſtit.

2. *Figurae ſententiarum* contra omnem dignitatem ex re ipſa, & ex tota adeo ſententia repetunt, quibuscunque demum verbis aut quomodolibet ordinatis efferatur.

Annot. Diſcrimen, quod inter haec duo figurarum genera intercedit, in eo poſitum eſt, quod *figurae verborum* ablata verborum ſuorum conformatione, aut alia ſubſtituta omnino pereant; contra *figurae ſententiarum* ſtabiles permaneant, dum ſententia manet eadem, quibuscunque demum verbis enuncietur. *Nihil agis, nihil moliris, nihil cogitas*, figura verborum eſt, Repetitio dicta: commuta ordinem, aut ſubſtitue verba alia hunc in modum; *Nihil agis, moliris nihil, nullaque de re cogitas*, & continuo figura repetitionis perivit, Contra, illa Ciceronis ſententia: *Quousque abutere Catilina patientia noſtra?*

figu-

figura interrogationis (quae ſententiarum eſt) manebit, dum eadem ſuperſtes erit ſententia, quomodocunque aut quibuscunque verbis com mutata.

e. Utrumque figurarum genus, quorum propriis ſeu translatis verbis conſtent, iisdem legibus cenſetur. Quare nihil morabitur jam nos, ſi tropos & figuras fortaſſe in easdem voces aliquando incidere contigerit; imo tanto minus, quod nonnulli praeceptores figurarum nomine etiam tropos comprehendant; promiſcua commentatione ambo complexi.

d. Sunt equidem non dignitate ſolum & gravitate ſua, ſed natura ipſa priores figurae ſententiarum propterea, quod ad mentem magis eae pertinent, quam ad verba; natura vero prius eſt concipere animo res, quam enunciare; ſed quoniam nos a facilioribus ad graviora perpetuo progredi juſtis de cauſſis cum adoleſcentibus noſtris coepimus, ordine tractationis primum figuras verborum exequimur, tum ad figuras ſententiarum tranſituri ſumus.

I. *De Figuris Verborum.*

Figurae verborum ordinis cauſſa adhuc in tres claſſes diſpeſcuntur, nempe aliae per *Adjectionem* quampiam vocum, aliae per *Detractionem* etiam vocum, aliae tandem per *Similitudinem* aliquam vocum exiſtere conſueverunt.

A. *Fi-*

A. *Figurae verborum per Adjectionem.*

Figurae hujus classis omnes fiunt, cum praeter loquendi modum communem sermoni voces aliquae adjiciuntur, uti sigillatim examinanti patebit. Assignantur autem fere sequentes:

1. *Repetitio.* Cum ab eadem voce saepius inchoatur oratio. Sic Cicero famil. IX. 14. *Nihil est, mihi crede, virtute formosius; nihil pulchrius; nihil amabilius.* Item Cicero pro Quintio: *Quid haec amentia, quid haec festinatio, quid haec maturitas tanta significat? non vim? non scelus? non latrocinium? nec denique omnia potius, quam jus, quam officium, quam pudorem?*

 Annot. Valet haec figura praesertim ad acriorem reddendam orationem, sive ad laudem, sive ad vituperium, sive ad omnem motum: quia tamen in oculos statim incurrit, diutius continuanda non est; sed aliis figuris permiscenda.

2. *Conversio.* Vis nominis indicat priori oppositam esse, & fit, cum in eandem vocem saepius desinit oratio. Sic ad Herenn. l. IV. c. 13. *Quum istos, ut absolvant te, rogas: ut existimationem negligant, rogas; ut leges populi romani tuae libidini largiantur, rogas:* Item ad Herenn. *Ex quo tempore concordia de civitate sublata est, fides sublata est, amicitia sublata est, respublica sublata est.*

3. *Complexio.* Rursus nomen ipsum indicat, figuram hanc ex utraque priori compositam esse.

Itaque cum voces eaedem & in initio & in fine repetuntur, Complexionis figura eſt. E. g. ad Herenn. *Qui ſunt, qui foedera ruperunt? Carthaginenſes; qui crudele bellum in Italia geſſerunt? Carthaginenſes: qui ſunt, qui poſtulant ſibi ignoſci? Carthaginenſes.* Aliud exemplum eſt item ad Herenn. lib. IV. cap. 14. *Quem ſenatus damnarit; quem populus romanus damnarit; quem omnium exiſtimatio damnarit, eum vos ſententiis veſtris abſolvetis?*

4. *Conduplicatio.* Eſt geminatio ſeu iteratio vocis; ſed ſemel tantum facta, ſive ea iteratio ſtatim in continenti & principio fiat, ſive in medio & interjectis modo paucioribus, modo pluribus aliis verbis, ſive tandem plane in fine. Exempla, quae ſequuntur, omnia conduplicationis figurae ſunt. Cic. pro Milon. *Vos, vos appello fortiſſimi viri.* Et pro Font. *Fuit, fuit illis judicibus divinum ac ſingulare judicium.* Item Catil. 1. *Vivis, & vivis non ad deponendam, ſed ad confirmandam audaciam.* pro Leg. Man. *Regnat, & ita regnat, ut ſe non Ponto, neque Cappadociae latebris occultare velit.* Lib. 5. in Verr. *Errabas Verres! & vehementer errabas.* Pro Marcell. *Vidimus tuam victoriam proeliorum exitu terminatam, gladium vagina vacuum in urbe non vidimus.* Ad Herenn. *Nunc etiam audes in horum conſpectum venire, proditor patriae! proditor inquam, patriae*

patriae venire audes in horum conspectum, &c.

Annot. Mire figura ista vehementiae majori, amplificationi, affectibusque variis ciendis servit.

5. *Traductio.* Est ejusdem verbi cum aliqua mutatione repetitio, sive mutatio, in significatione, sive in aliqua deflexione casuum, numerorum, generis, temporum, modorum &c. contingat; quam postremam mutationem etiam specialius *Polyptoton* appellant, e. g. Cicero pro Rosc. Amer. *Sua, quemque fraus, suus terror maxime vexat; suum quemque scelus agitat; suae malae cogitationes conscientiaeque animi terrent.* Et ad Herenn. *Divitias sine divitum esse; tu virtutem praefer divitiis* &c.

Annot. Levioris momenti utraque haec est figura, quas etiam sola incogitantia excidisse Ciceroni putant nonnulli.

6. *Synonymia.* Est verborum prope idem significantium frequentatio. Exemplum est in Cic. famil. I. 9. *Inimicum meum* (Clodium) *sic amplexabantur, sic in manibus habebant, sic fovebant; sic me praesente osculabantur &c.* Et apud eundem in Catilin. 2. *Catilinam furentem audacia, scelus anhelantem, pestem patriae nefarie molientem, vobis atque huic urbi ferrum flammamque minitantem ex urbe vel ejecimus, vel emisimus, vel ipsum progredientem*

persecuti sumus: abiit, excessit, erupit, evasit.

Annot. Sunt, qui negent, ullas dari voces perfecte synonymas, quare supra *prope idem significantia* addidimus. Ceterum tironibus sedulo inculcandum, in synonymis crescere semper debere orationem, & hoc modo saepe ad exaggerationes commotionesque gravissime adhibita est a Tullio.

7. *Polysyndeton.* Est oratio conjunctionibus abundans. Ita Cicero famil. VI. 13. *Caesarem & res quotidie, & dies, & opinio hominum, &, ut mihi videtur, etiam sua natura mitiorem facit.* Poëtis praecipue in usu frequenti est haec figura. Sic Virg. Georg. *Tectumque, laremque, armaque, Amyclaeumque canem, Cressamque pharetram.*

Annot. Acrem magnopere & instantiorem fecit orationem haec figura; *praefert enim vim quamdam velut saepius erumpentis affectus*, ait Quintil. Alii gravitati conciliandae peridoneam judicant.

8. *Gradatio.* Est oratio per gradus quosdam quasi ad summum ascendens, aut ad infimum descendens, sed in singulis tamen gradibus restitans. Sic Cic. pro Quint. *Si Quintius debuisset, Sexte! petiisses statim: si non statim, paullo quidem post; si non paullo, at aliquanto; sex quidem illis mensibus profecto.* Aliud exemplum habetur apud eumdem Cicer. pro Milone: *Neque vero se populo so-*

ſolum, ſed etiam ſenatui commiſit; neque ſenatui modo, ſed etiam publicis praeſidiis & armis, neque his tantum, verum etiam poteſtati. Adhuc aliud ad Herenn. *Africano virtutem induſtria, virtus gloriam, gloria aemulos comparavit.*

Annot. Quoniam haec figura apertiorem & magis affectatam habet artem, rarius uſurpanda eſt: nec fere, niſi res ipſa ſucceſſionem, aut certos quospiam gradus habeat.

B. *Figurae Verborum per detractionem.*

Hujus cenſus figuris omnibus aliquid (cum virtute tamen) detractum eſt, quod in communi ſermone obtinet. Referuntur ad hanc claſſem figurae, quae ſequuntur:

1. *Synecdoche.* Eſt verbi alicujus reticentia, quod tamen ex aliis facile intelligitur. Sic e. g. Cic. *Hic tumultuari famuli, lugere ancillae, moerere filii, conjux miſera lamentari;* ſubaudi; *coeperunt.* Cicero famil. II. 10. *Multi occiſi, capti, reliqui diſſipati: caſtella munita improviſo adventu capta & incenſa.* Idem ad Attic. VII. 12. *Plena timoris & erroris omnia:* ſubaudi utrobique: *ſunt.* Idem ad famil. XIV. 1. *Me miſerum: te iſta virtute, fide, probitate, humanitate in tantas aerumnas propter me incidiſſe! Tulliolamque noſtram, ex quo pater tantas voluptates capiebat, ex eo tantos percipere luctus!* ſubaudi: *aequumne eſt?* Et Catilin. 1. *Te ut ulla res*

frangat, Tu ut unquam te corrigas? Tu ut ullam fugam meditere? subaudi: *fierine potest?*

Annot. Synecdoche haec tropo cognomine omnino diversa est, & fere brevitatis gratia in narrationibus opportuna & frequens.

2. *Dissolutio.* Est soluta conjunctionibus oratio, opposita Polysyndeto superius explicato. unde etiam graeco nomine Asyndeton vocatur. Ita Cicero famil. XVI. 4. *innumerabilia tua sunt in me officia, domestica, forensia, urbana, provincialia, in re privata, in publica, in studiis, in litteris nostris.* Item Terent. in Andr. *Funus interim procedit; sequimur, ad sepulchrum venimus, in ignem posita est, fletur &c.* Idem in Heautont. *Faciat, quod libet, sumat, consumat, perdat, decretum est pati.* Vides in primo exemplo conjunctionem *et*, in altero *tum*, in tertio *aut* rejectam esse.

Annot. Mirifice valet haec figura ad celeritatem & vim orationi impertiendam,

3. *Adjunctio.* Est oratio, in qua ad unum idemque verbum plura incisa referuntur. Sic e. g. Cicero pro Marcello: *Nihil sibi ex ista laude centurio, nihil praefectus, nihil cohors, nihil turma decerpit.* Et pro Leg. Manil. *Non illum avaritia ab instituto cursu ad praedam aliquam devocavit, non libido ad volupta-*

tem,

tem, non amoenitas ad delectationem, non nobilitas urbis ad cognitionem, non denique labor ipse ad quietem.

Annot. Collocant hic continuo aliqui *Disjunctionem* (non Diſſolutionem, quae alia diverſa mox ſupra eſt figura) dicuntque eſſe orationem, ejus ſingulis inciſis ſingula ſubjecta ſunt verba, ut Cicero pro Arch. *Tot annos ita vivo; ut ob nullius unquam me tempore aut commodum aut otium meum abſtraxerit, aut voluptas avocarit, aut denique ſomnus retardarit.*

4. *Synoecioſis.* Oratio eſt, quae duas ſententias inter ſe diverſas unico verbo ita colligat, ut in altera, ubi deeſt, facile intelligatur. Sic e. g. Cicero: *Te Praetore Siculi milites palmarum ſtirpibus, praedones Siculi frumento alebantur.* Item P. Syr. *Tam deeſt avaro, quod habet, quam, quod non habet.* Facile in primi exempli priore exemplo *ſtirpibus alebantur*; in alterius exempli membro poſtremo *ipſi deeſt* ſubauditur.

C. *Figurae Verborum per ſimilitudinem vocum.*

Ad tertiam hanc claſſem figurae Verborum relegatae ſunt, quae ex vocum ſimilitudine, &, quoniam contrariorum eadem eſt diſciplina, quae ex diſſimilitudine item ducuntur. Rhetores longum harum figurarum ordinem texunt, nos eas levioris ponderis rati, ut exempla tamen aliqua

coram intueantur tirones noſtri, paucas delibamus.

1. *Annominatio.* (graece Paronomaſia) eſt oratio vocibus prope ſimilibus paullulum immutatis & deflexis diſtincta. Sic Cicero ad Att. I. 13. *Conſul ipſe parvo animo & pravo.* Item: *Facie magis quam facetiis ridiculus.* Et pro Roſc. Amer. *Tametſi non modo ignoſcendi ratio, verum etiam cognoſcendi conſuetudo de civitate ſublata eſt.*

2. *Similiter cadens.* Eſt, cum nomina vel verba iisdem caſibus vel temporibus efferuntur, quocunque demum id orationis loco fiat, maxima tamen poſtremo. Ita Cicero pro Roſcio Amerino: *Quid tam commune, quam ſpiritus vivis, terra mortuis, mare fluctuantibus, littus ejectis?* Et l. 5. Verr. *Is nunc reus non ita defendatur, ut mediocris Praetor, ſed ita laudetur, ut optimus Imperator.*

3. *Similiter deſinens.* Eſt, cum plura membra vel inciſa in voces eundem aut ſimilem ſonum habentes terminantur, etſi diverſorum temporum caſuumque. Ita Cicero pro Leg. Manil. *Non ſum praedicaturus, ut ejus ſemper voluntatibus non modo cives aſſenſerint, ſocii obtemperarint, hoſtes obedierint, ſed etiam venti tempeſtatesque obſecundarint.* Sic etiam Quintil. *Ejusdem non eſt & facere fortiter, & vivere turpiter.*

An-

Annot. Plerumqne, quod similiter cadit, etiam similiter desinit: quamquam contrarium non aeque saepe accidat. Oportet vero harum figurarum usum esse parcissimum.

4. *Compar* (Graecis Isocolon) est oratio; cujus membra saepe pari syllabarum numero concluduntur. Sic. Cic. pro Leg. Manil. *Tantum bellum Pompejus extrema hieme apparavit, ineunte vere suscepit, media aestate confecit.* Et iterum pro Milone: *At valuit odium, fecit iratus, fecit inimicus, fecit ultor injuriae, punitor doloris sui.*

5. *Contrapositum* (Graecis Antithesis) est oratio, in qua verba verbis, sententiae sententiis opponuntur. Ita Cic. in Catilin. 2. *Hoc vero quis ferre possit, inertes homines fortissimis viris insidiari, stultissimos prudentissimis, ebrios sobriis, dormientes vigilantibus.* Et l. 5. in Verr. Idem Cic. *Illam clementiam mansuetudinemque nostri imperii in tantam crudelitatem immanitatemque esse conversam.* Rursum Sall. in Jugurth. *Dominari ii volunt, vos libere esse; facere illi injuriam, vos prohibere; postremo sociis vestris veluti hostibus, hostibus pro sociis utuntur.*

Annot. Haec figura ad verborum & sententiarum figuras pariter pertinet, itaque exempla Contrapositi in sententiis continuo adjecimus, ne idem repeti inferius necesse esset,

6. *Commutatio* (graece antimetabole) eſt oratio, qua duae ſententiae inter ſe diſcrepantes ita efferuntur, ut poſterior ex priore proficiſcatur. Sic Cic. ad Herenn. l. 4. *Eſſe oportet ut vivas, non vivere ut edas.* Item: *Quae de illo dicuntur, dici non poſſunt; quae dici poſſunt, non dicuntur.* Et idem Cic. pro Cluent. *Ceteri propter liberos pecuniae cupidiores ſolent eſſe, ille propter pecuniam liberos omittere jucundum eſſe duxit.*

Annot. Ornant absque dubio figurae hae verborum omnes orationem opportune poſitae, ſed eas ſine *ſententia ſectari*, ait Quintilianus noſter, *tam eſt ridiculum, quam quaerere habitum geſtumque ſine corpore.*

II. De Figuris Sententiarum.

a. Omiſſo ingenti figurarum iſtius generis numero, quas Rhetores praeſertim graeci ad faſtidium uſque commenti ſunt, & quas prope ad puerorum terriculamentum graecis tantum vocabulis expreſſerunt magiſtri multi latini, nos, quae frequentiores in optimis oratoribus latinis occurrunt, eas paucas tantum tractationi noſtrae cum ſobrietate delegimus, & tironibus tradituri ſumus.

b. Libet autem figuras has ordinis ac proinde memoriae cauſſa in tres claſſes diſtribuere, nempe ut primum eas proponamus, quae

vim

vim motumque animorum conciliant, tum, quae ad delectandum, postremo, quae ad docendum idoneae sunt.

A. Figurae ad motum praesertim pertinentes.

Quas ad motum praecipue pertinere figuras isthic aimus, eae possunt valere item ad delectandum, imo ad docendum etiam; sed nempe loquimur de eo, quod passim accidit ex earum natura. Itaque in hac classe recensentur:

1. *Interrogatio* est, cum orator non sciscitandi, sed instandi, arguendi, commovendi aut alterius cujuscunque rei gratia vel adversarium vel auditores, vel se etiam ipsum interrogat. Sic Cic. Catil. I. *Quousque tandem abutere Catilina patientia nostra?* Quanto vehementius dictum est hoc; quam si simpliciter enunciasset: *Jam diu Catilina abuteris patienta nostra.* Et idem Cic. pro Rosc. Amerin. *Quid vis amplius? quid insequeris? quid oppugnas? qua in re tuam voluntatem laedi a me putas? ubi tuis commodis officio? quid tibi obsto? Si spoliorum caussa vis hominem occidere, spoliasti: quid quaeris amplius? &c.* Vides nimirum, quantum urgeant frequentius vibratae interrogationes.

Annot. Nullus fere affectus est, cui non figura haec interrogationis congruat: dolori, desiderio, querimoniae, irae, insectationi, gloriationi, ad-

admirationi, indignationi, averſationi. Cicero ad famil. VII. 1. de ludis barbaris: *Quae poteſt eſſe homini polito delectatio, quum homo imbecillus a valentiſſima beſtia laniatur?*

2. *Reſponſio* eſt, cum interroganti aliud redditur, quam naturaliter expectabat, ſed quod ſit utilius, idque augendi vel minuendi cauſſa. E. g. Hominem occidiſti? *Imo latronem & parricidam.* Item: *Exhaeredare filium volebat? Ornatiſſimum cupiebat &c.*

3. *Subjectio* eſt figura, qua orator vel interrogat ſe ipſum, continuoque ſibi reſpondet; vel cum alium interrogavit, non expectato ejus reſponſo aliquid de ſuo addit. Sic Cic. Philipp. 2. *Quid putem? Contemtumne me? Non video nec in vita, nec in gratia, nec in rebus geſtis, nec in hac mea mediocritate ingenii, quid deſpicere poſſit Antonius. An in ſenatu facillime de me detrahi poſſe credidit? Qui ordo clariſſimis civibus bene geſtae reipublicae teſtimonium multis, mihi uni conſervatae dedit. An decertare mecum voluit contentione dicendi? Hoc quidem beneficium eſt.* Et iterum Cic. ad Haruſp. Reſp. *Tu meam domum religioſam facere potuiſti? Ecqua mente? quam amiſeras. Qua manu? qua diſturbaveras. Qua voce! qua incendi juſſeras. Qua lege? quam ne in illa quidem impunitate tua ſcripſeras.*

4. Ex-

4. *Exclamatio* eſt figura, cum vocis elatione & contentione, interjectionibus aliquando adhibitis, nonnunquam ſubauditis, vehementiores animi motus reique magnitudinem exprimimus. Sic Cic. l. 3. de Orat. *O fallacem hominum ſpem, fragilemque fortunam & inanes noſtras contentiones! quae in medio ſpatio ſaepe franguntur - - Et ad Attic. III. 10. Me miſerum! Quam omnia eſſent ex ſententia, ſi nobis animus, ſi conſilium, ſi fides eorum, quibus credidimus, non defuiſſet.* Et rurſus ad Attic. VII. 21. *Cneus autem noſter (o rem miſeram & incredibilem! ut totus jacet! Non animus eſt, non conſilium, non copiae, non diligentia.*

Annot. Nullus eſt fere affectus, cujus magnitudini ſignificandae non conveniant, & non reipſa adhibita fuerit a Cicerone. *Amor & exiſtimatio, gratus animus, deſiderium, laetitia, triſtitia, exprobratio, miſeratio, contemtus, irriſio*; omnia haec exclamationibus multifariam expreſſa reperias apud Ciceronem.

b. Interjectiones ſeu particulae; quas plerumque conjunctas habet haec figura, ſunt fere: *O! proh! heu! ha! vah! quam! quantum! proh ſuperi! pro ſuperum atque hominum fidem! Me miſerum &c.*

5. *Praeteritio* eſt figura, cum profitemur aliqua velle reticere, vel praeterire, quae maxime dicimus. Ita Tullius pro Leg. Manil. magnifice laudat Pompejum per Praeteritionem: *Itaque non ſum praedicaturus, Quirites, quantas res domi militaeque, terra marique,*

ripue, quantaque felicitate gesserit, ut ejus semper voluntatibus non modo cives assenserint, socii obtemperarint, hostes obedierint, sed etiam venti tempestatesque obsecundarint, hoc brevissime dicam &c. Alia ejusdem Ciceronis non minus luculenta Praeteritio est in Vati. *Atque illud tenebricosissimum tempus ineuntis aetatis tuae pariter latere. Licet impune per me parietes in adolescentia perfoderis, vicinos compilaris, matrem verberaris. Habeat hoc praemium tua indignitas, ut adolescentiae turpitudo obscuritate & sordibus tuis obtegatur.*

a. *Annot.* Usus hujus figurae praesertim est, cum multa occurrunt, quae vel seorsum explicata minoris ponderis & efficaciae sunt, vel diffusius disputari ob angustias non possunt, quandoque ne expedit quidem aut decet.

b. Lectio diligens docebit, quantum variari possit elocutio hujus figurae; & prudens observatio, quam variare necesse sit, ne perpetuo ad decantatas & nauseae jam hodie plenas formulas, *tacebo*, *nihil*, *dicam*, *praetereo*, *mitto*, confugiendum sit.

6. *Reticentia* (graece Aposiopesis) est repentina sermonis interruptio, qua tacetur aliquid, quod series orationis postulat, & auditori cogitandum relinquitur. Sic Cic. ad Attic. VII. 22. *O incredibilem celeritatem! Hujus autem nostri - - sed non possum accusare eum, de quo angor & crucior.* Tacuit nimirum tarditatem Pompeji. Et Terent. *Mala mens, malus animus, quem quidem ego si sense-*

re

ro - - *Sed quid opus eſt verbis?* Idem apud eundem Comicum: *Ego te, ſi vivo - - - ſed iſtud, quidquid eſt, primum expedi.* Notiſſima eſt illa apud Virgil.

Jam coelum terramque meo ſine numine venti
Miſcere & tantas audetis tollere moles?
Quos ego - - ſed motos praeſtat componere
fluctus &c.

Annot. Hac figura Cicero vix utitur in orationibus, ſed apud poëtas crebrior eſt.

7. *Expolitio*, quae Ciceroni *una in re commoratio* appellatur, eſt oratio, unam eandem rem non ſolum diverſis verbis, ſed variis etiam figuris dicendique modis tamdiu explicans & ornans, donec in omnes facies verſata, ſub oculos penitus ſubjiciatur, atque in auditorum animos altiſſime defigatur. Sic Cicero pro Sext. *Negat ſe mortem metuiſſe, cum ivit in exilium.* Hanc propoſitionem vide quomodo verſet expoliatque: *Quid, tum mortem refugiebam? An erat res ulla, quam mihi magis optandam putarem? - - - Tam eram rudis? tam ignarus rerum? tam expers conſilii aut ingenii? nihil audieram? nihil videram? nihil ipſe legendo, quaerendoque cognoram? Neſciebam vitae brevem eſſe curſum, gloriae ſempiternum? Quum eſſet omnibus definita mors, optandum eſſe, ut vita, quae neceſſitati deberetur, patriae potius donata, quam reſervata naturae*

vide-

videretur? Idem Cic. Philip. 2. hanc propositionem: *Tu auctor hujus belli fuisti*, diversissimis coloribus hunc in modum pingit & exprimit: *Tibi confitendum est, caussam perniciosissimi belli in persona tua constitisse. O miserum te! si intelligis, miseriorem, si non intelligis, hoc litteris mandari, hoc memoriae prodi, hujus rei ne posteritatem quidem omnium saeculorum unquam immemorem fore, Consules ex Italia expulsos, cumque his Cn. Pompejum, qui imperii populi romani decus ac lumen fuit: omnes consulares, qui per valetudinem exequi cladem illam, fugamque potuissent: Praetores, Praetorios, Tribunos plebis, magnam partem senatus, omnem sobolem juventutis, unoque verbo, rempublicam expulsam atque exterminatam suis sedibus. Ut in seminibus est caussa arborum & stirpium: sic hujus luctuosissimi belli semen tu fuisti &c.*

Annot. Maximum sane in hac figura situm est eloquentiae momentum, & vix si latinis tantisper accipiatur, ab amplificatione oratoria differt, ex hujus fontibus hauriri ad eam concinnandam oportebit, ut infra de amplificatione videbimus.

8. *Epiphonema.* Est exclamatio sententiosa post rem aliquam insignem narratam vel probatam. Oratoribus juxta & poëtis familiaris est haec figura. Sic Cicero pro Marcell. post laudatum Caesaris in victoria

ria mitem animum concludit Epiphonemate: *Recte igitur unus invictus es, a quò etiam ipsius victoriae conditio, visque devicta est.* Et lib. de Senect. poſtquam dixit: *Senectutem ut adipiſcantur, omnes optant; eamdem accuſant adepti;* Epiphonema ſubjicit: *Tanta eſt inconſtantia, ſtultitia atque perverſitas.* Sic item Salluſt. in Jugurth. cum praemiſiſſet: Jugurtham futurum fuiſſe impunem, niſi Memmius obſtitiſſet; concludit, *Tanta vis gratiae atque pecuniae Regis erat.* Virgilius autem poſt narratos Trojanae claſſis labores:

Tantae molis erat Romanam condere gentem!

Et de avaro, crudeli & impio Polymneſtore loquens:

— — *Quid non mortalia pectora cogis*
Auri ſacra fames.

In Georgicis vero:

— — *Adeo a teneris aſſueſcere multum eſt.*

9. *Conceſſio* eſt, cum damus aliquid liberaliter, vel iniquum etiam nos pati profitemur, aut cauſſae partem jam firmiter probatam tamen adverſario concedimus, ut alienam deinceps tanto fortius pervincamus. Sic. Cicero pro Flacco: *Hoc dico de toto genere Graecorum: tribue illis litteras; do multarum artium diſciplinam: non adimo ſermonis leporem, ingeniorum acumen, dicendi* co-

copiam, denique etiam, ſiqua ſibi alia ſumunt, non repugno. Teſtimoniorum religionem & fidem nunquam iſta natio coluit. Si Ironiae conjungatur haec figura, nonnunquam acerbior eſſe ſolet. Sic idem Cicero l. 2. in Verrem: *Verum eſto: eripe haereditatem propinquis; da palaeſtritis, praedare in bonis alienis nomine civitatis; everte leges, teſtamenta, voluntates mortuorum, jura vivorum: num etiam patriis Heraclium bonis exturbare oportuit?*

Annot. In perorationibus multum haec figura ad motum confert, praeſertim ſi neceſſe ſit implorari & captari benevolentiam.

10. *Deprecatio*, aliter etiam *Obſecratio* & *Obteſtatio* dicta eſt, qua opem miſericordiamque vehementer imploramus. Sic Cicero pro Dejotar. *Quamobrem hoc nos primum metu C. Caeſar, per fidem & conſtantiam tuam libera; ne reſidere in te ullam partem iracundiae ſuſpicemur. Per dexteram te iſtam oro, quam Regi Dejotaro hoſpes hoſpiti porrexiſti; iſtam inquam dexteram, non in bellis & praeliis, quam in promiſſis firmiorem.* Ne epiſtolae quidam refugiunt hujusmodi deprecationes. Exemplum elegans habetur inter famil. VIII. 16. ubi Caelius ad Ciceronem: *Per fortunas tuas, Cicero, per liberos oro, obſecro, ne quid gravius de ſalute & incolumitate tua conſulas. Nam Deos hominesque, amicitiamque noſtram teſtificor, me*

ne-

neque temere tibi praedixisse, neque temere monuisse.

Annot. Vehementissima est haec prae ceteris figura, animisque qualibet commovendis aptissima; quare regnat praecipue in perorationibus, in quibus apud Ciceronem requirere, & copiosissimas deprecationes reperire poteris.

11. *Execratio* est oratio, quam malum alicui imprecamur. Sic. Cic. Philipp. 6. *Populi Romani igitur est patronus L. Antonius? malam quidem illi pestem! clamori enim vestro assentior.* Sic idem Cic. pro Dejot. *Dii te perdant fugitive! ita non modo usquam & improbus, sed & fatuus & amens es.* Denique Catil. 1. *Tum tu Jupiter - - - omnes inimicos bonorum - - aeternis suppliciis vivos mortuosque mactabis.*

Annot. Nisi de vitiorum scelerumque execratione agatur, vix haec figura unquam locum apud oratores christianos habere potest.

B. *Figurae, quae ad delectandum valent.*

Eadem hic animadversio locum iterum habet, quam supra attigimus; possunt namque figurae, quae hoc capite enumerabuntur, etiam ad motus, & quidem non raro concitatiores faciendos adhiberi; interim partitio nostra id respicit, quod passim fieri solet. Hac proinde classe comprehenduntur sequentes:

 1. *Apo-*

1. *Apostrophe* est sermonis conversio ad aliquem seu praesentem seu absentem, ad quem oratio ex se non est directa. Potest autem ea conversio fieri ad superos inferosque, vivos ac mortuos, nec ad animata solum, sed ad inanimata etiam & vita sensuque carentia. Exempla hujus Conversionis undique habebis obvia in Ciceronis orationibus; en unum alterumque: pro Domo sua ad Clodium: *Illud a te homine vesano ac furioso requiro, quae te tanta poena tuorum scelerum flagitiorumque vexet, ut hos tales viros - - - mihi esse iratos, & aliud de summa hoc tempore religione sensuros, ac me absente senserint, arbitere.* Alio loco ejusdem orationis idem Cicero: *O Dii immortales! (vos enim haec audire cupio) P. Clodius vestra Sacra curat? vestrum numen horret? res omnes humanas religione vestra contineri putat? ex isto ore religionis verbum excidere, aut elabi potest? &c.* Denique Conversionis ad inanimata exemplum habetur apud eundem Ciceronem pro Milone: *Vos enim jam Albani tumuli atque luci. Vos inquam imploro, atque obtestor, vosque Albanorum obrutae arae! quas ille* (Clodius) *praeceps amentia, caesis prostratisque sanctissimis lucis, substructionum insanis molibus oppresserat. Vestrae tum arae, vestrae religiones viguerunt, vestra vis valuit; quam ille omni scelere polluerat &c.*

Annot. Etsi haec figura gravis vehemensque sit, & ad urgendum adversarium ad laudem, ad vituperationem, & ad commiserationem excitandam opportunissima, caute tamen videndum, ut raro & non nisi gravitate rerum ita postulante adhibeatur.

2. *Hypotyposis* est figura, qua res tam graphice describuntur, ut non tam audiri vel legi, quam oculis cerni videantur. Sic Cicero in Verrem: *Ipse* (Verres) *inflammatus, scelere & furore in forum venit. Ardebant oculi, toto ex ore crudelitas eminebat. Expectabant omnes, quo tandem progressurus, aut quidnam acturus esset; cum repente hominem corripi, atque in foro medio nudari, ac deligari & virgas expediri jubet. Clamat ille miser se civem esse romanum &c.* Et idem Cic. in eundem Verrem l. 4. *Quem concursum in oppido factum putatis? quem clamorem? quem porro fletum mulierum? qui viderunt, equum Trojanum introductum, urbem captam esse dicerent. Efferri sine thecis vasa, extorqueri alia de manibus mulierum, effringi multorum fores, revelli claustra &c.*

a. *Annot.* Figuram hanc constructurus ante omnia fingere sibi res praesentes debet accurateque & vivide intueri; sic item illas exprimere, ac si coram eas audiat, videat, sentiat, omniumque praesentium vultus & animos notet.

b. Potissimum vero in hac figura perficienda adjuvant antecedentia, consequentia, adjuncta, atque etiam epitheta, quae res aut actiones vivaciter repraesentant.

 3. *Etho-*

3. *Ethopoeia* eſt vitae ac morum alicujus expreſſio ſeu imitatio. Quamquam enim Hypotypoſis cum Ethopoeia conjuncta ſaepe, & permixta adeo ſit, differunt tamen magnopere, cum haec mores ac vitam tantum, illa deſcriptiones graphicas rerum quarumcunque effingat. Exemplum Ethopoeiae purae habetur in Cicerone Catilin. 3. *Omnia norat Catilina, omnium aditus tenebat, appellare, tentare, ſollicitare, poterat, audebat: erat ei conſilium ad facinus aptum, conſilio autem neque lingua, neque manus deerat. Nihil erat, quod non ipſe obiret, occurreret, vigilaret, laboraret. Frigus, ſitim, famem ferre poterat. Hunc hominem tam acrem, tam paratum, tam audacem, tam callidum, in ſcelere vigilantem, tam in perditis rebus diligentem &c.* Permixtae autem exemplar intueri licet in Cicerone pro Roſc. Amer. ubi de Chryſogono: *Quemadmodum compoſito & delibuto capillo paſſim per forum volitet cum magna caterva togatorum, videtis judices, ut omnes deſpiciat: ut hominem prae ſe neminem putet; ut ſe ſolum beatum, ſolum potentem putet &c.*

4. *Proſopopoeia* eſt figura, qua perſonae verae aut fictae lonquentes inducuntur. Cum perſonas fictas dicimus, & ſpiritus & mortuos homines, & abſentes, & res vita ſenſuque carentes loquentes fingi aliquando poſſe intelligimus. Inſignis plane Proſopopoeia

poeia est apud Ciceronem Catilin. 1. *Quae* (Patria) *tecum Catilina sic agit & quodammodo tacita loquitur ; Nullum jam tot annos facinus extitit , nisi per te : nullum flagitium sine te. Tibi uni multorum neces , tibi vexatio direptioque sociorum impunita fuit ac libera. Tu non solum ad negligendas leges & quaestiones , verum etiam ad evertendas perfringendasque valuisti. Superiora illa , quamquam ferenda non fuerunt , tamen ut potui , tuli: nunc vero me totam esse in metu , propter te unum , quidquid increpuerit , Catilinam timeri : nullum videri contra me consilium iniri posse , quod a tuo scelere abhorreat , non est ferendum. Quamobrem discede , atque hunc mihi timorem eripe : si verus , ne opprimar : sin falsus , ut tandem aliquando timere desinam. Haec si tecum , ut dixi , patria laqueretur &c. &c.* Sic item milites inducit loquentes Cicero pro Muraen. *In Consule declarando multum auctoritatis habet suffragatio militaris. Gravis est illa oratio : me saucium recreavit ; me praeda donavit ; hoc duce castra cepimus , signa contulimus ; nunquam iste plus militi laboris imposuit , quam sibi sumsit ; ipse cum fortis , tum etiam felix &c.*

Annot. Vix est figura , quae ad amplificationem & ad motus animorum sit aptior : sed in ejus usu diligenter illud servandum , ut sermo , qui rebus multis tribuitur , & aptissimus iis sit , & plenus gravitatis : id quod acri judicio indiget.

C. *Figurae ad docendum idoneae.*

Hac classe comprehenduntur figurae, quae ad docendum magis idoneae sunt, ac proinde ibi locum habent pensatis rerum circumstantiis, ubicunque auditor docendus (quod in exordiis fit praecipue) aut res aliqua furtassis impeditior evolvenda, & in lumine suo collocanda est. Sunt autem in hac classe figurarum sequentes:

1. *Dubitatio* est figura, cum orator simulat quaerere, quid potissimum ex pluribus agendum dicendumve sit. Sic. Cic. pro Rosc. Amer. *Quid primum querar? aut unde potissimum, judices, ordiar, aut quod? aut a quibus auxilium petam? Deorumne immortalium? populine romani? vestramne, qui summam potestatem habetis, hoc tempore fidem implorem? Pater occisus est &c.* Aliud illustre Dubitationis exemplum est apud Liv. l. 38. ubi sic ad milites Scipio: *Apud vos quemadmodum loquar, nec consilium nec oratio suppeditat, quos ne quo nomine quidem appellare debeam, scio. Cives? qui a patria vestra descivistis. An milites? qui imperium auspiciumque abnuistis, sacramenti religionem rapuistis. Hostes? Corpora, ora, vestitum, habitum civium agnosco, facta, dicta, consilia, animos hostium video.*

a. *Annot.* Referunt nonnulli praeceptores Dubitationem etiam inter verborum figuras cum scilicet de nomine aut voce dubitare se simulat orator, ut mox in postremo exemplo vidimus. Sic

etiam

etiam Cic. in Verrem. *Venio nunc ad iſtius, quemadmodum ipſe appellas ſtudium; ut amici ejus morbum & inſaniam; ut Siculi latrocinium; ego quo nomine appellem, neſcio.*

b. Solent ſaepe Dubitationes amplificari, cauſſaeque dubitandi latius enumerari, tum ſingulis propoſitis dubiis reſponſio & ſolutio aliqua ſubjungi, ac demum oratoris ſententia exponi. Sic. L. 2. de Orat. elegans eſt hujus generis Dubitatio ex Gracchi oratione excerpta: *Quo me miſer conferam? quo vertam? in Capitoliumne? at fratris ſanguine redundat. An domum? matremne ut miſeram lamentantemque videam & abjectam?*

2. *Occupatio* (Graecis Prolepſis), eſt figura, qua orator id occupat, ſeu dicendo praevenit, quod objici ſibi poſſe praevidet. Sic Cic. pro Coelio, dum adoleſcentiae excuſat vitia: videtur malam adoleſcentis educationem probare, ac proinde grande praejudicium cauſſae ſuae adferre. Quare praeoccupat hanc objectionem, enervat, refellitque ibi: *Dicet aliquis: Haec igitur tua eſt diſciplina? Sic tu inſtituis adoleſcentes?* Mox reſpondet & refutat objecta. Sic etiam idem pro L. Manil. *At enim vir clariſſimus, amantiſſimus reipublicae, veſtris beneficiis ampliſſimis affectus, Q. Catulus, itemque ſummis ornamentis honoris, fortunae, virtutis, ingenii praeditus Q. Hortenſius ab hac ratione diſſentiunt, quorum ego auctoritatem apud vos multis locis plurimum valuiſſe & valere oportere confiteor: ſed in hac cauſſa, tametſi cognoſcitis aucto-*

ritates contrarias virorum fortissimorum & clarissimorum, tamen omissis auctoritatibus ipsa re & ratione exquirere possumus veritatem -- -- Quid igitur ait Hortensius? -- -- &c.

3. *Communicatio.* Est figura, cum vel auditores, vel judices, vel denique adversarios ipsos consulimus, & quid faciendum sit, familiariter cum iisdem deliberamus. Ita Cic. in Verrem: *Nunc ego, judices, vos consulo, quid mihi faciendum putetis. Id enim consilii mihi profecto taciti dabitis, quod egomet mihi necessario capiendum putavi.* Item Cic. idem pro Rabir. *Tu denique, Labiene, quid faceres tali in re ac tempore? cum ignaviae ratio te in fugam, atque in latebras impelleret: improbitas & furor Saturnini in Capitolium arcesseret: Consules ad patriae salutem ac libertatem vocarent: quam tandem auctoritatem, quam vocem sequi, cujus imperio parere potissimum velles?* &c.

4. *Correctio.* Est figura, cum prolatum verbum vel sententiam alio magis idoneo corrigimus, quod vehementer percellit & excitat audientium animos. Sic. Cic. ad Att. l. 14. *Hic tibi rostra Cato advolat, convicium Pisoni Consuli mirificum; si id est convicium vox plena gravitatis, plena auctoritatis, plena denique salutis.* Item Cicero Philipp. 2. *Haec ut colligeres, homo amentissime, tot dies in villa declamasti: quamquam tu quidem, ut fami-*

miliarissimi dictitant, vini exhalandi, non ingenii caussa declamitas.

Annot. Rursum hinc apparet, cum de verbo solum corrigendo agitur, figuram hanc etiam ad verborum schemata pertinere posse.

b. Elegantissimis nonnunquam haec figura transitionibus servit. Sic. Cic. pro Dejotaro: *At credo, haec homo consideraturus, & temerarius non videbat. Quis consideratior illo? quis rectior? quis prudentior? Quamquam hoc loco Dejotarum non tam ingenio & prudentia, quam fide & religione vitae defendendum puto, &c.*

5. *Sustentatio* est figura, qua diu auditorum animi suspenduntur, ac deinde aliquid inexpectatum subjungitur. Percellit autem tanto acrius haec figura, cum illud inexpectatum salsum aliquid & mordens fortassis est. Sic Cicero l. 5. in Verr. *Etiam nunc mihi expectare videmini, judices, quid deinde factum sit, quod iste nihil unquam fecit sine aliquo quaestu aut praeda. Quid in ejusmodi re fieri potuit? quod commodum est? Expectate facinus, quam vultis, improbum: vincam tamen expectationem omnium. Nomine sceleris cunjurationisque damnati, ad supplicium traditi, ad palum alligati, repente multis millibus hominum inspectantibus, soluti sunt, & Leonidae illi domino redditi.* Item Cic. idem l. 3. in Vetr. *Quid haec sibi dona voluerunt? - - - quibus ex hostium spoliis? de qua victoria? - - - an quod ager Syracusanus praedonum incendiis te Praetore vasta-*

ſtatus eſt? - - - Nihil poſſum reperire, niſi forte id egiſti, ut hominibus ne obliviſci quidem rerum tuarum male geſtarum liceret.

Annot. Vel paullulum attentus obſervator deprehendet, & in exemplis hic adductis, & in lectione auctorum paſſim, figuras invicem ſic permiſceri, ut rariſſima ſola aliqua inveniatur. Itaque, quae earum in loco aliquo praecipue regnat, ab ea figura nomen totius loci trahi ſolet.

b. Graviſſime inculcetur tironibus: figuras (verborum praeſertim, quae leviores ex ſe ſunt), ſi anxie conquirantur, & oratio iisdem ſtudioſe confercia-tur, inepta & prope puerilia onera eſſe, ac floccos aſſutos purpurae; quae ſponte autem occurrent, & quaſi ſub manum naſcentur, idque parce & ſuo loco, eas tantum illuſtria ornamenta orationi futuras.

CAPVT III.

De *Amplificatione Oratoria.*

a. Summum ſine controverſia oratoris opus, & neſcio an non item difficillimum, eſt Amplificatio; propterea quod & omnem commovendorum animorum rationem contineat, in quo ſolo eloquentiae vis ſita eſt, & totum orationis corpus pervadat, neque ſolum ad partes majores, ſed ad minores etiam, & ad minimas adeo ſingularum periodorum aut figurarum pertineat.

b. De-

b. Definitur autem Amplificatio a Tullio: *gravior quaedam affirmatio, quae motu animorum conciliat in dicendo fidem.*

1. *Annot.* Eſt igitur ſecundum hanc definitionem Amplificatio gravius, vehementius, ac copioſius dicendi genus, quo rei dignitatem & amplitudinem verborum ac ſententiarum pondere, rationumque ac circumſtantiarum enumeratione eo uſsque extollimus, aut contra etiam, rei alicujus vilitatem & indignitatem ita deprimimus, ut non ſolum inlellectus convincatur, ſed voluntas etiam moveatur, ac, quo cupimus, deflectatur.

2. Accurate diſtinguenda erunt Amplicatio & Dilatatio, quod ipſa vis nominis utriusque declarat. Cum enim *Dilatatio* aures ſolum verbis maximam partem inanibus impleat, juvenilique verborum redundantia luxurietur, qua orationem extendit, fuſioremque ac latiorem reddit; *Amplificatio* contra rerum, verborum, & ſententiarum pondere nervos orationis intendit, eamque facit ampliorem & digniorem.

c. Dividitur vero Amplificatio omnis in duo genera: nimirum in Amplificationem *Verborum* & Amplificationem rerum: quibus tertium genus addere non incongrue poſſumus, prioribus nomine quidem oppoſitum, re ipſa tamen utrique conjugatum, ſcilicet *Extenuationem*, de quibus omnibus jam ordine agemus.

A. *De Amplificatione verborum.*

1. Amplificatio verborum erit, quoties per verba orationi amplitudo & dignitas conciliabitur:

tur: id quod juxta Rhetorum praeceptiones fere ſex modis ſequentibus accidere ſolet:

a. *Per verba translata*, cum nempe propriorum loco metaphorica uſurpamus; e. g. cum *parietes geſtire gaudio & exultare* Cic. ait, quae hominis propria ſunt, hic autem ad parietes transferuntur. Sic Horat. de primo nauta impavido: *Illi robur & aes triplex circa pectus erat, qui fragilem truci commiſit pelago ratem primus &c.*

Annot. **Tota tractatio de Tropis, quam mox hic ſupra praemiſimus, plena eſt exemplorum huc pertinentium.**

b. *Per verba ſuperlata*, quae veritatem ſuperant, & plus dicunt, quam eſſe reapſe poſſit. Sic. Cic. pro Leg. Man. laudes bellicas Pompeji amplificans ait: *Qui ſaepius cum hoſte conflixit, quam quisquam cum inimico concertavit; plura bella geſſit, quam alii legerunt: plures provincias confecit, quam alii concupiverunt: cujus adoleſcentia ad ſcientiam rei militaris non alienis praeceptis, ſed ſuis imperiis: non offenſionibus belli, ſed victoriis: non ſtipendiis, ſed triumphis eſt erudita.* Sic Poëta item de Turni equis cecinit: *Qui candore nives anteirent, curſibus auras.* Et de Equo Trojano: *Inſtar montis equum divina Palladis arte aedificant*: ſane amplius dixit: *Inſtar montis equum*, quam ſi magnum aut altiſſimum vocaſſet.

An-

Annot. Verba haec hyperpolica ad ea, quae ſupra de Tropis diximus, itidem referri debent.

c. *Per verba ſynonyma*, cum verba idem pene ſignificantia ad aliquid vehementius exprimendum coacervantur. Sic Cic. in Catilin. *Perge, quo coepiſti: egredere aliquando ex urbe: proficiſcere. Nobiſcum verſari jam diutius non potes: non feram, non patiar, non ſinam.* Ubi vides ſynonyma coacervata: *perge, egredere, proficiſcere, verſari non potes.* Et *non feram, non patiar, non ſinam.* Ita quoque Virgilius: *Quem ſi fata virum ſervant, ſi veſcitur aura aetherea, nec adhuc crudelibus occupat umbris &c.*

Annot. Eſt vero in memoriam hic revocanda diligenter monitio, quam ſupra figurae Synonymiae ſubjunximus, ne per illam levis & puerilis, non gravior reddatur oratio.

d. *Per verba graviora & illuſtriora*, quae rem ſignificantius exprimunt. Hujusmodi eſt illud Cic. in Verrem: *Non enim furem, ſed ereptorem; non adulterum, ſed expugnatorem pudicitiae, non ſacrilegum, ſed hoſtem Sacrorum religionumque; non ſicarium, ſed crudeliſſimum carnificem civium ſociorumque in veſtrum judicium adducimus.*

e. *Per periphraſin ſeu circuitionem*, cum quod brevius ac ſimplicius dictum vim minorem augendi aut minuendi habuiſſet, longiori ſed accom-

accommodato verborum ambitu circuituque, acrius digniusque reddimus. Ita Cicero pro Milon. Clodii caedem extenuat: *In quos incensos ira* (servos Milonis) *vitamque domini* (Milonis) *desperantes cum incidisset* (Clodius) *haesit in iis poenis, quas ab eo servi fideles pro domini vita expetierunt*, scilicet crudum Ciceroni videbatur minimeque defensioni Milonis opportunum, ut simpliciter pronunciaret Clodium a Milonis servis occisum esse. Sic Poëtae quoque, & hi quidem frequentissime amplificatione istius generis utuntur. Virg. Aeneïd. 12. vocem hanc *moritur*, quae ad commiserationem in Turnum, & ad odium adversus Aeneam provocare poterat, hoc ambitu declinat: *Olli dura quies oculos, & ferreus urget somnus; in aeternam clauduntur lumina noctem.*

f. *Per Repetitionem*, cum non ornatus, sed motus excitandi caussa iterantur dictiones. Exemplum suppeditat Cicero pro Sext. Rosc. Amer. in Exordio: *Accusant ii, qui in fortunas ejus invaserunt: causam dicit is, cui praeter calamitatem nihil reliquerunt. Accusant ii, quibus occidi patrem Sexti Roscii bono fuit: caussam dicit is, cui non modo luctum mors patris attulit, verum etiam egestatem. Accusant ii, qui hunc ipsum jugulare summe cupierunt: causam dicit is, qui*

etiam

etiam ad hoc ipſum judicium cum præſidio venit, ne hic ibidem ante oculos veſtros trucidetur. Denique accuſant ii, quos populus poſcit: cauſſam dicit is, qui unus relictus ex illorum nefaria cæde reſtat. Sed poëtæ non minus eleganter hac eadem repetitione amplificant. Sic. Ovid. in Heroid. epiſtolis:

Impia quid dubitas Deianira mori?
Heu mihi! quid feci? quo me furor egit amantem?
Impia quid dubitas Deianira mori?
Illita Neſſeio miſi tibi texta veneno,
Impia quid dubitas Deianira mori?

Annot. Manifeſtum eſt, vix hos per verba amplificandi modos a troporum, figurarum, & aliorum ornatum, quos ſupra de numeroſa oratione commemoravimus, frequentatione differre.

B. *De Amplificatione Rerum.*

2. Rerum amplificatio non jam verbis tantum: ſed ipſis rebus & totis ſententiis amplitudinem, vim, & dignitatem orationis efficit. Ridiculum enim & prope ſtultum fit, verbis magnitudinem perpetuo conſectari, niſi verbis res etiam grandes aliquando ſubjectæ ſunt. Inanis & tumida futura eſſet ejus generis oratio, non magna & ampla. Obtinetur vero iſta rerum amplitudo duabus potiſſimum viis: *per Congeriem*, & *per Incrementum.*

2. *Per Congeriem* fit Amplificatio, cum plura alicujus generis congeruntur, quae orationem cum dignitate extollunt. Valent huc universe fontes illi, quos locos rhetoricos seu intrinsecos, seu extrinsecos vocant, & ex quibus omne orationis robur & efficacia, id est argumenta repeti solent; specialius tamen a præceptoribus huic amplificationis generi assignantur sequentes:

1. *Congeries Definitionum*, cum multae & variæ alicujus rei definitiones coacervantur. Ita Cic. de Hist. ait: *Est testis temporum, lux veritatis, vitæ memoria, magistra vitæ, nuncia vetustatis.* Sic idem Cic. de Mil. Curiæ & Senatus Romani auctoritatem ex isto fonte definitionum conglobatarum amplificat: *Curia templum sanctitatis, amplitudinis, mentis, consilii publici, caput urbis, ara sociorum, porta omnium gentium, sedes ab universo populo Romano concessa uni ordini &c.*

Annot. Definitionem esse brevem & circumscriptam rei cujusdam explicationem infra de inventione tradetur.

2. *Congeries partium*, cum alicujus totius partes vel omnes vel præcipue enumerantur, quod vehementiam non modicam orationi conciliat. Sic Cic. in Pison. propositionem hanc: *Memoriam fune-*

funesti imperii tui omnes detestantur; amplificat primum distribuendo *memoriam* in partes, scilicet: *facta*, *mores*, *faciem*, *nomen*, tum *omnes* in *milites* & *regiones*, mox ulterius partitur milites in *Legatos*, *Tribunos militum*, *Centuriones*, *reliquos milites*, regiones autem enumerat: *Achajam*, *Thessaliam*, *Athenas*, *Apolloniam* &c. Ecce locum ipsum quam amplum & quam magnificum! *Omnes memoriam Consulatus tui*, *facta*, *mores*, *faciem denique ac nomen a republica detestantur*, *Legati*, *qui una fuere alienati*: *Tribuni militum inimici*: *Centuriones*, & *si qui ex tanto exercitu reliqui milites existunt*, *non dimissi abs te*, *sed dissipati*, *te oderunt*, *tibi pestem exoptant*, *te execrantur*. *Achaja exhausta*: *Thessalia vexata*; *laceratae Athenae*; *Appollonia exinanita*; *Ambracia direpta*; *Bullienses illusi*; *Epirus excisa*: *Locri exusti*, *Athamanum gens vendita*: *Macedonia condonata barbaris*: *Aetolia amissa*: *Dolopes finitimique montani oppidis atque agris exterminati*; *cives romani*, *qui in iis locis negociantur*, *te unum solum suum depeculatorem*, *vexatorem*, *praedonem*, *hostem venisse senserunt*. Aliud illustre exemplum habetur in eod. Cic. pro domo sua; ubi propositionem hanc: *Injurias familiae* & *domui meae intulisti*, enumerando familiae partes; *uxorem*, *filium*, *fratrem*; domus vero idem partes: *parietes*, *tecta*, *colum-*

nas, postes commemorando, splendidissime sic amplificat: *Quid enim vos uxor mea misera violarat? quam vexastis, raptavistis, omni crudelitate laceravistis. Quid mea filia? cujus fletus assiduus, sordesque lugubres vobis erant jucundæ: ceterorum omnium mentes oculos flectebant. Quid parvus filius? quem, quamdiu abfui, nemo nisi lacrymantem, confectumque vidit: quid fecerat, quod eum toties per insidias interficere voluistis? quid frater meus? — — quoties ex vestro ferro, ac manibus elapsus est? Sed quid ego vestram crudelitatem expromo? — — qui parietibus, qui tectis, qui columnis ac postibus meis horrificum quoddam & nefarium, omni imbutum odio bellum intulistis?*

3. *Congeries Adjunctorum*, cum adjuncta plurima, quæ vel res, vel personas circumstant, colliguntur; ut tanto gravior progrediatur oratio. Ita Cicero Pisonis vinolentiam usque ad fœditatem ex adjunctis exaggerat: *Meministine coenum, nescio quo e gurgustiolo te prodire, involuto capite, soleatum: Et cum isto ore foetido teterrimam nobis popinam inhalasses, excusatione te uti valetudinis, quod diceres, vinolentis te quibusdam medicaminibus solere curari? — paulisper stetimus in illo ganearum tuarum nidore atque fumo, unde tu nos, cum improbissime respondendo, tum turpissime eructando ejecisti &c.*

Ejus-

Ejusdem fere thematis exemplum aliud ex Cicerone Philipp. 2. ſuppeditat, ubi Antonii ebrietatem ex conglomeratis adjunctis temporis, loci, perſonarum nervoſiſſime exagitat: *Tu iſtis faucibus, iſtis lateribus, iſta gladiatoria totius corporis firmitate; tantum vini in Hippiæ nuptiis exhauſeras, ut tibi neceſſe eſſet in populi romani conſpectu vomere poſtridie. O rem non modo viſu foedam, ſed etiam auditu! Si inter coenam, in ipſis tuis immanibus illis poculis, hoc tibi accidiſſet, quis non turpe duceret? in coetu vero populi romani, negotium publicum gerens, Magiſter equitum, cui ructare turpe eſſet; is vomens, fruſtis eſculentis, vinum redolentibus, gremium ſuum & totum tribunal implevit.*

Annot. Juvat hic in inveſtigandis adjunctis excuſſio notiſſimi illius verſus: *Quis, quid, ubi, quibus auxiliis, cur, quomodo, quando*, & pertinebit huc item, ſi antecedentia aliquam rem, aut conſequentia illius ad vim faciendam conglomerabuntur.

4. *Congeries cauſſarum vel effectorum*, cum cauſſæ vel effecta plura rei allegantur ad vires orationi conferendas. Etſi enim ſingillatim fidem faciant, motum tamen & perſuaſionem, niſi plura in eundem finem acriter evibrata, non efficient. Ita Cicero ex cauſſarum frequentatione

amplificat magnitudinem instantis belli Mithridatici pro Leg. Manil. *Multa prætereo consulto, sed ea vos conjectura perspicitis, quantum illud bellum futurum putetis, quod conjungant reges potentissimi, renovent agitatæ nationes, suscipiant integræ gentes, novus Imperator vester accipiat, vetere pulso exercitu.* Sic item ad Artic. X. 8. ab effectis Cæsaris victoriam timendam esse gravissime asserit: *Nam eadem video, si vicerit; & impetum in privatorum pecunias: & exulum reditum: & tabulas novas; & turpissimorum honores; & regnum non modo romano homini, sed ne Persæ quidem cuiquam tolerabile. Tacita esse poterit indignitas nostra? pati poterunt oculi, me cum Gabinio sententiam dicere?* &c.

5. *Congeries contrariorum & dissimilium, cum* per contraria aut dissimilia coacervata mirifice exaltatur oratio. Exempla nobilis hujus conflictationis, & proinde amplificationis extant apud Ciceronem in oratione in Pisonem, cujus gesta cum suis contendit, ibi: *Obrepsisti ad honores errore hominum, quorum simile habes nihil præter colorem — — omnes honores populus romanus mihi novo homini detulit; — homini, non generi; moribus, non majoribus meis;*

meis; virtuti perspectae, non auditæ nobilitati deferebat. — — Tu Consul es renunciatus — — impeditis reipublicæ temporibus, diffidentibus Consulibus — — me cuncta Italia, me omnes Ordines, me universa civitas non prius tabella, quam voce, priorem Consulem declaravit &c. Idem Cicero in Pisonem & Gabinum Consules quanta vi contorquet orationem adscita hac congerie: *Qui latrones igitur, siquidem vos Consules? qui Prædones? qui hostes? qui proditores? qui tyranni nominabuntur? Magnum nomen est, magna species, magna dignitas, magna majestas Consulis. Non capiunt angustiæ pectoris tui: non recipit levitas ista, non egestas, non infirmitas ingenii sustinet, non insolentia rerum secundarum tantam personam, tam gravem, tam severam &c.*

6. *Congeries Similium, Comparationum aut exemplorum*, cum adductis pluribus ex aliquo horum generum nervi orationis intenduntur. Obvia sunt undique in Cicerone singulorum istorum generum exempla; unum delibamus ex eodem Cicer. L. de Orat. c. 25. *Difficile dictu est, quænam caussa sit, cur ea, quæ maxime sensus nostros impellunt, voluptate & specie prima acerrime commovent, ab iis ce-*

lerrime fastidio quodam & satietate abalienemur? Quando colorum pulchritudine & varietate floridiora sunt in picturis novis pleraque, quam in veteribus? quæ tamen, etsi primo aspectu non ceperunt, diutius non delectant — — — Quanto molliores sunt & delineatiores in cantu flexiones & falsæ voculæ, quam certæ & severæ? quibus tamen non modo austeri; sed si sæpius fiant, multitudo ipsa reclamat — — — Quin etiam gustatus — — quam cito id, quod valde dulce est, aspernatur ac respuit? — — — Sic omnibus in rebus, voluptatibus maximis fastidium finitimum est. Quo hoc minus in oratione miremur, in qua vel ex poëtis, vel oratoribus possumus judicare: concinnam, distinctam, ornatam, festivam sine intermissione, sine reprehensione, sine varietate, quamvis claris sit coloribus picta vel poësis, vel oratio, non posse in delectatione esse diuturna.

Annot. Sæpe horum postremorum generum amplificationes etiam sine congerie obtinentur, atque in unico Simili, Comparatione; aut exemplo subsistunt. Id, quod Poëtis perfamiliare. En pulcherrimam suavissimamque aliquam Pallantis a Turno occisi cum flore decerpto comparationem apud Virgil. Aeneid. 11.

Hic

Hic juvenem agresti sublimem in stramine ponunt,

Qualem virgineo demessum pollice florem
Seu mollis violæ, seu languentis hyacinthi,
cui neque fulgor adhuc, necdum sua forma recessit &c.

b. *Per incrementum* Amplificatio tum fieri a Quintiliano dicitur, cum per gradus ita crescit oratio, ut ad summum perveniat. Hoc amplificandi genus validissimum est ad movendum, & nobilissimum inter omnia oratorum artificia, si non tantum singulas partes, sed alicujus orationis totum, qua late patet, corpus pervagetur. Amplificationis hujusmodi in minutiori aliqua parte exemplum habemus in Senecæ epistola ad Lucilium: *Magna vitæ pars elabitur male agentibus: maxima nihil agentibus: tota aliud agentibus.* Exemplum aliud nonnihil lucidius & diffusius affertur ex Cicer. L. 5. in Verrem, in quo crudelitas Verris eo usque per incrementum amplificatur, ut verba ulteriora crimini explicando desint. *Facinus est vincire civem romanum, scelus verberare, prope parricidium necare, quid dicam in crucem tollere? verbo satis digno tam nefaria res appellari nullo modo potest.* Denique gravitate & incredibili varietate per incrementum perpetuò assurgentis orationis exemplum habetur apud eundem Cic. pro Sulla: *Ego Consul,*

quum exercitus perditorum civium clandestino scelere conflatus, crudelissimum & luctuosissimum exitium patriæ comparasset; quum ad occasum interitumque reipublicæ Catilina in castris, in his autem templis atque tectis dux Lentulus esset constitutus, meis consiliis, meis laboribus, mei capitis periculis, sine tumultu, sine delectu, sine armis, sine exercitu, quinque hominibus comprehensis, atque confossis; incensione urbem, internecione cives, vastitate Italiam, interitu rempublicam liberavi. Ego vitam omnium civium, statum orbis terræ, ego urbem hanc denique, sedem omnium nostrum, arcem Regum, ac nationum exterarum, lumen gentium, domicilium imperii, quinque hominum amentium ac perditorum poena redemi.

Annot. Intuitus & observatio exempli, præsertim postremo loco allati, tum ceterorum multorum isthic disperforum docebit tirones nostros, amplificationes per incrementum, per congeriem, & per verba sæpissime in eadem oratione conjungi, & in quibuscumque amplificationibus pro re nata omne genus figuras, præsertim illas, quæ ad motum faciunt permixtas esse.

2. Quo loco amplificationes præsertim regnare debeant, inferius docebitur, cum de dispositione & affectibus tractaturi sumus.

C. *De Extenuatione.*

a. Si rem ipsam ex merito suo ponderemus. Extenuatio revera amplificationis aliqua species est,

eſt, qua, dum argumentorum nobis obſtantium robur & pondus infringimus, ſimul argumentis noſtris gravitatem & amplitudinem adjicimus.

b. Eſt igitur Extenuatio dicendi genus, quo rebus magnitudo, dignitas, atrocitas, deformitas &c. ſeu vera, ſeu veroſimilis detrahitur.

c. Uſus extenuationis apud oratores tunc locum habere conſuevit, cum argumenta adverſum nos facientia nec penitus negare, nec ſatis accurate diſſolvere aut amoliri poſſunt. Itaque tum ad difficultates elevandas; &, quacunque licet, minuendas; res autem, ſi quæ fortaſſis plus juſto elatæ ſunt, deprimendas, vel prorſus abjiciendas convertuntur.

d. Modis plurimis tractari ſolet Extenuatio; uſitatiſſimi in bonis ſcriptoribus reperiuntur ſequentes;

1. Ratione ſeu argumentis aperte oſtenditur, infirmitas eorum, quæ adverſum nos facere videntur. Sic cum Marcello objici poſſet, quod civili bello ad partes Cæſaris non acceſſiſſet, Cicero Orat. pro Marcello oſtendit, quam nihil officiat hæc objectio vel Marcello, vel aliis, qui tum a partibus Cæſaris alieni erant, quo fato cuidam, errori, & pacis deſiderio attribuit; ibi: *Omnes enim, qui ad illa arma fato ſumus neſcio quo reipublicæ miſero funeſto-*

nestoque compulsi, etsi aliqua culpa tenemur erroris humani, a scelere vero liberati sumus. Nam cum M. Marcellum deprecantibus vobis reipublicae conservavit — — & reliquos amplissimos viros — — non ille hostes induxit in curiam, sed judicavit, a plerisque ignoratione potius, & falso atque inani metu, quam cupiditate & crudelitate civile bellum esse susceptum &c.

2. Teguntur & obscurantur bona, & contra in luce collocantur mala, quae in re vel in homine nobis adverso insunt. Ita apud Caes. de bello civili l. 2. Labienus despicit ac deprimit copias Caesaris, exaggerat autem difficultates, quae Caesaris exercitum infestabant: ibi: *Noli*, *inquit* (Labienus), *existimare Pompei, hunc esse exercitum, qui Galliam Germaniamque devicerit. Omnibus interfui praeliis, neque temere incognitam rem pronuncio. Perexigua pars illius exercitus superest, magna pars deperiit, quod accidere tot praeliis fuit necesse; multos autumni pestilentia in Italia consumsit: multi domum discesserunt; multi sunt relicti in continenti. An non audistis ex iis qui per caussam valetudinis remanserunt, cohortes esse Brundusii factas? Hae copiae, quas videtis, ex delectibus horum annorum in citeriore Gallia sunt refectae: & pleraeque sunt ex coloniis transpadanis: attamen*

quod

quod roboris fuit, duobus prœliis Dyrrhachianis interiit.

Annot. Non omittat hic præceptor de morali christiana monere tirones suos, quæ omnino legi hic allatæ locum non relinquit, nisi de rebus & personis historicis communi censensu malis, aut declamationis oratoriæ caussa:

3. Comparantur cum aliqua re majori, quæ nobis adversari videatur, ex qua collatione mirum quantum deprimitur minus illud, quod collatum est. Sic Cic. Philipp. 11. metum, qui ex Antonii Veteranis multorum animis insederat, legionum recentium & multarum comparatione ac vicissitudinum humanarum spe extenuat, ac excutit. Ita vero loquitur: *Ego autem (dicendum est enim P. C. quod sentio) non tam veteranos intuendos nobis arbitror, quam quid tirones milites, flos Italiæ, quid novæ legiones ad liberandam patriam paratissimæ, quid cuncta Italia de vestra gravitate sentiat. Nihil enim semper floret: ætas succedit ætati: diu legiones Cæsaris viguerunt: nunc vigent Pansæ, vigent Hirtii, vigent Cæsaris filii, vigent Planci: vincunt numero, vincunt ætatibus, nimirum etiam auctoritate vincunt.*

4. Neglectus & contemtus earum rerum profertur, quas adversarii extollere conantur. Ita Cic. contra Rullum 2. contemnit & vili-

vilipendit beneficium, quod Rullus populo per legem Agrariam conferre ostenderat, ibi: *Vos vero, si me audire vultis, retinete istam possessionem gratiæ, libertatis, suffragiorum, dignitatis, urbis, fori, ludorum, festorum, dierum, ceterorum omnium commodorum: nisi forte mavultis, relictis his rebus, atque hac luce reipublicæ in Sipontina siccitate, aut in Salapinorum pestilentiæ finibus, Rullo duce collocari. — Ut vero, cum omnes urbes, agros, vectigalia regna vendiderit, tum arenam aliquam, aut paludes emat: id vos potestis quæso concedere?*

5. Ridiculum ad extenuandum & abjiciendum adhibetur, quod Ciceroni sæpissime in usu est, & quo non facile aliud extenuandi medium fortius aut certius. Ita Philipp. 13. *Est etiam Asinus quidam senator voluntarius lectus ipse a se. Apertam curiam vidit post Cæsaris mortem: mutavit calceos, Pater conscriptus repente factus est.* Et pro Milon. luctum de nece Clodii, quem adversarius forte jactaverat, deridet, ibi: *P. Clodii mortem æquo animo ferre nemo potest: luget Senatus: moeret equester ordo: tota civitas confecta senio est: squalent municipia: afflictantur coloniæ, agri denique ipsi tam beneficum, tam salutarem, tam mansuetum civem desiderant.*

d. Cum

d. Cum figuræ pro diverſa opportunitate locum habere in amplificationibus poſſint prope omnes tamen, ceteris plus amplificationem juvabunt, quarum motus ſunt vehementiores, cujusmodi ſunt: Hypotypoſis, Proſopopoeia, Apoſtrophe, Interrogatio, Exclamatio &c.

d. Fere autem amplificationis tractatione duo præcipue occurrunt ſcopuli, in quos tirones vel incautiores, vel audaciores paſſim incurrere conſueverunt, quosque proinde omni conatu declinare meminerint, in hunc finem:

1. Minutiſſima quæque ſingillatim & exiliter conſectari non oportet, quod certe vitium erit longe maximum. Cum enim ex monito Ciceronis *in Amplificationibus nihil nimis tenuiter enucleandum ſit*, locus hic tantum grandia & magnifica tractationis argumenta petit, minuta & exilia reſpuit.

2. Amplificatio vocibus vacuis & inani verborum ſonitu inſtituenda non eſt; ſed rerum vi, & ſententiarum pondere. His enim paratis verba ultro nulloque labore occurrent, affirmante ipſo Poëta: *Verbaque proviſam rem non invita ſequentur.* Quamquam non deſint viri graviſſimi, qui, ſi in alterutram partem juventuti peccandum ſit: copia & ubertate verborum, quam jejunitate ac inopia peccari malint; quia, ut notat Tullius, tempore & exercitatione, quod redundat, deponetur.

CA-

CAPUT IV.

De Stilo.

a. Postquam instructus est hucusque tiro noster de præcipuis necessariisque elocutionis oratoriæ capitibus, accedendum jam erit paullatim ad usum, atque in executionem deducendum quod præceptionum hucusque tractitum est. Id antequam opere ipso præstetur, adhuc de diversis dicendi charaderibus, seu multiplici latinæ orationis stilo sobrie nobis monendus videtur, nunc videlicet, cum jam virtutes oratorias & vitia paullulum internoscere didicit.

b. Stilus igitur, si nomen spectetur, instrumentum est, quo veteres in ceratis tabulis litteras insculpebant, ut jam alibi explicatum est. Translatum est hinc nomen ad ipsam scribendi rationem, qua auctores in concinnandis scriptis suis usi sunt.

c. Hac autem postrema acceptione Stilus definitur: *Certa quædam orationis conformatio ad mentem scribentis & res scriptas attemperata.*

Annot. Jam vel ex ipsa hac definitione liquidum esse debet, pro diversitate rerum, & longe magis pro diversitate scribentium multiplicem eumque diversum esse debere stilum.

d. Pas-

d. Paſſim tamen & notiſſima diviſione triplex aſſignatur ſtilus, nempe: *ſimplex*, *mediocris* & *ſublimis*.

1. *Stilus ſimplex*, qui etiam vocatur ſtilus *tenuis*, *ſubmiſſus*, & *infimus*, ille eſt, qui latinus quidem & numeroſus, nequaquam tamen ornatus eſt.

a. Dotes hujus ſtili neceſſariæ ſunt: *perſpicuitas*, *nitor*, atque *munditia*, quemadmodum contra parcus ac prope nullus periodorum, verecundus autem troporum aut figurarum poteſt eſſe in hoc ſtilo uſus earum præcipue, quæ ad vehementiores motus conciliandos valent: e. g. *Apoſtrophe*, *Proſopopoeia* &c.

b. Excellit in ſtilo hoc Cæſar, & nitidiſſimus in fabellis enarrandis Phædrus. Virgilius quoque in Bucolicis, & quandoque in epiſtolis ad familiares, imo in quibusdam orationibus ipſe Cic. apud quos undique obvia ſunt exempla ad præſentem doctrinam pertinentia. In uno tamen ex poëta Eclog. 1. depromto inſpice ſimplicitatem:

Urbem, quam dicunt Romam, Meliboee putavi.
Stultus ego huic noſtræ ſimilem, quo ſæpe ſolemus
Paſtores ovium teneros depellere foetus.

Sic canibus catulos, ſimiles ſic matribus hoedos
Noram, ſic parvis componere magna ſolebam.

2. Quamquam autem ſtilus iſte ornatum refugit, ad laudabilitatem tamen etiam non aſſurget, niſi ſubtilitatem & leporem aliquando adjunctum habeat, quorum prior eſt in rebus penitus diſpiciendis, penetrandis ac diſceptandis; poſterior autem ſæpe in ſalibus, ſæpe in ridicula dicacitate. Exemplum prioris habetur in Cicerone orat. pro Muræna c. 31. ubi de Stoicis ſatis ſubtiliter ad Caton. *Iſti ipſi mihi videntur veſtri præceptores & virtutis magiſtri fines officiorum paullo longius, quam natura vellet, protuliſſe — Nihil ignoveris. Immo aliquid, non omnia. Nihil gratiæ cauſſa feceris. Immo reſiſtito gratiæ.* Poſterioris exemplum habetur apud eundem Cic. pro Flacco c. 14. *Quæratur, utrum iſta claſſis curſu & remis, an ſumtu tantum & litteris navigarit*, id eſt, an falſo claſſis nomine pecuniam Prætor ſurripuerit. Et aliud c. 37. ibidem; *Magnum erat ei certamen propoſitum:* (Falcidio cuidam), *magna cum Græcis contentio, qui tamen, ut opinor, jacent victi. Nam iſte unus totam Aſiam magnitudine poculorum, bibendoque ſuperavit.*

2. Sti-

2. *Stilus mediocris*, alias etiam *moderatus* & a Cicerone *floridus* atque *politus* dictus est, ut idem Tullius ait: *Stilus quidam interjectus, intermedius, & quasi temperatus, nec acumine inferioris, nec fulmine utens superioris, vicinus amborum, in neutro excellens, utriusque particeps.* Est igitur inter simplicem & sublimem medius.

a. *Huic stilo omnia dicendi ornamenta convenire* ait Cicero. Conveniunt proinde huic stilo numeri; conveniunt periodi tornatæ, verba translata, frequentes sententiæ, eæque acutæ, descriptiones, loci communes, copiosæ disputationes, modo ne vehementiores sint, omnis denique concinnitas.

b. Etsi hoc dicendi genus majestatem verborum & gravitatem sententiarum non habeat, neque sublimi stilo competit, quoniam tamen omnem verborum ornatum & venustatem, ac sermonis item suavitates universas recipit, floridi & politi nomen inde illi adhæsit.

c. Exemplorum huc pertinentium affatim suppeditat Cicer. de Orator. item in Oratore & Dialogis philosophicis, ac in plurimis epistolis; & totæ fere orationes pro Archia & Lege Manilia sunt stilo isto elaboratæ.

3. *Stilus ſublimis*, etiam *amplus*, *grandis*, *grandiloquus*, & *magnificus* apellatus eſt ille, qui res ſublimes & magnificas; verbis item ſplendidis, ac ſententiis magnificis ſic exprimit, ut ſublimitate ſua audientium animos vel invitos in admirationem abripiat. Hujusmodi eſt illud Alexandri ad Legatos Darii apud Curtium: *Bellum cum captivis & foeminis gerere non ſoleo. Armatus ſit oportet, quem oderim.* Item illud Didonis apud Virg. morientis.

Exoriare aliquis noſtris ex oſſibus ultor,
Qui face Dardanios, ferroque ſequare colonos.

Denique illud apud Cic. pro Marcell. ad Cæſarem: *Nihil habet, nec fortuna tua majus, quam ut poſſis; nec natura tua melius, quam ut velis ſervare quamplurimos.*

Annot. Profecto vel ipſæ divinæ Chriſtianorum litteræ ſublimitates, & ortam inde majeſtatem quandoque oſtendunt, ad quam Longinus & ſapientiſſimi quique ethnici obſtupuerunt. Tale eſt illud in Geneſ. *Fiat lux* & *facta eſt lux*; in Pſalmis: *Mare vidit & fugit*: in LL. Machabeorum de Alexandro: *Siluit terra in conſpectu ejus* &c.

a. Eſt ſtilus iſte totus rebus occupatus, ornamenta Rhetorum ſi non negligit, certe non ad venuſtatem, ſed ad efficacitatem, permovendosque ac convertendos animos tantum adhibet. Exemplum hujus ſtili ipſe Cicero poſt Demoſthenis Philippicas orationem ſuam pro Rabirio Majeſtatis reo laudat; in qua nimirum ubique fulget, tonat, fulminat.

b. Conciliant autem duo præcipue stilo sublimitatem hanc, de qua sermo est, nempe:

1. Si nobilissima tantum rei adjuncta considerentur: & dissimulatis ceteris ea tantum parte, qua illustrior & extantior res est, inspiciatur. Sic Virgilius Neptunum solo nutu pacantem iratos fluctus, & summa gravitate perlabentem maria felicissime pingit:

— — Dicto citius tumida æquora placat
Collectasque fugat nubes, solemque reducit,
— — — — — — — — — — — — —
Atque rotis summas levibus perlabitur undas.

Sic paucissima hæc Ovidii quam grandia loquuntur: *Jam seges est, ubi Troja fuit.*

2. Si ad hæc illustria ennuncianda metaphoræ itidem ex rebus illustribus seligantur, stili granditatem & magnificentiam indubie sequi necesse est—Ita de Cæs. Augusto Virgil.

— — — Cæsar dum magnus ad altum
fulminat Euphratem bello.

c. Sunt vero sublimitatis istius auctore summo artis magistro Longino partes duæ: Elatio & commotio.

1. *Elatio* est sublimis sententia, quæ audientem rapit in admirationem, ejus animum extollit, & quodam modo majorem efficit. Exemplum talis elationis est in illis Horatii versibus;

Regum timendorum in proprios greges;
Reges in ipsos imperium est Jovis.

Item in illo Ciceron. pro Milon. c. 37.

Exilium ibi putat esse, ubi virtuti non sit locus; mortem naturæ finem esse, non poenam.

2. *Commotio* est concitatio animi vehementior, qua fit, ut auditor extra se efferatur, & ar-

deat. Exemplum eſt in Cicer. pro Milone c. 33. quo loco commemoratione cadaveris Clodiani ſubſelliis Curiæ combuſti auditores ſuos inflammat, ibi ; *Et ſunt, qui de via Appia querantur, taceant de Curia? Et qui ab eo ſpirante forum putent potuiſſe defendi, cujus non reſtiterit cadaveri Curia? Excitate, excitate eum, ſi poteſtis, ab inferis. Frangetis impetum vivi, cujus vix ſuſtinetis furias inſepulti?* En indignationem, odium, dolorem, pudorem &c. quanta vi ab oratore excitos.

e. Aliæ præterea in uſu ſunt ſtili denominationes, ſed quas re meditate conſiderata aut in idem recidere, aut prorſus in vitiis deputari obſervabimus. Hujusmodi ſunt: Stilus *Atticus*, *Rhodius*, *Aſiaticus*, *Laconius*.

1. *Atticus ſtilus*, (aliter etiam vocatur *conciſus*; fere etiam ſublimem affectatus) eſt, qui brevioribus periodis, verbisque lectiſſimis & maxime neceſſariis tantum adſtrictus eſt; magnaque ſignificandi & exprimendi virtute præditus.

2. *Rhodius ſtilus* eſt, qui mediocritatem undique quærit, & ſervat, *medius* inde dictus; paullo copioſior Attico, Aſiatico preſſior.

3. *Aſiaticus ſtilus*, quem etiam *periodicum* nonnulli appellant, utitur longis periodis, fuſiorique, quam ſæpiſſime opus ſit, circuitu. Traxit nomen ſuum a populis Aſiaticis,

ticis, apud quos redundantia hæc in deliciis eſt.

Annot. Exempla triplicis iſtius ſtili varietatem apertius ſub oculos judiciumque ſiſtent, quam præcepta: ſit igitur.

Propoſitio: *Litterarum ſtudia perpetuo proſunt*, *Aſiatice* hanc expreſſit Cicero pro Arch. *Nam ceteræ res neque temporum ſunt, neque ætatum omnium, neque locorum; hæc ſtudia adoleſcentiam alunt, ſenectutem oblectant, ſecundas res ornant, adverſis perfugium ac ſolatium præbent, delectant domi, non impediunt foris, pernoctant nobiſcum, peregrinantur, ruſticantur.*

Attice Elocutus eſt Plin. Epiſt. I. 3. *Reliqua rerum tuarum poſt te alium atque alium dominum ſortientur: hoc nunquam tuum deſinet eſſe, cum ſemel cœperit.*

Rhodie ita fortaſſe efferas: *Cum reliquarum rerum omnium nec diuturna admodum, nec jucunda poſſeſſio ſit, ſola optimarum artium ſtudia & delectare perpetuo, & ætatum, locorum ac temporum omnium eſſe videntur.*

Laconicus ſtilus ne nomen quidem ſtili merebitur; ſi juſte loquimur, cum ſatis conſtet, Lacones eloquentiæ nihil tribuiſſe. Vulgo tamen ſtilus Laconicus eſt perbrevis & argutus loquendi modus, quo paucis multa dicuntur. Traxit nomen a Laconibus, id eſt, Lacedæmoniis ſeu Spartanis, quibus hæc brevitas in deliciis, prolixa omnis loquacitas odio erat.

Annot. Inter exempla ſtili iſtius numerantur litteræ Lacedæmoniorum breviſſimæ, ſed tamen ſignifi-

cantiores, quibus Philippo Macedoniæ Regi bellum minitanti reſponderunt; *Dionyſius Corinthi*. Computari nunc etiam poſſunt litteræ laureatæ Cæſaris ad Senatum Romanum de victo Pharnace Ponti Rege, *Veni*; *vidi*, *vici* &c.

f. Quis porro horum ſtilus alteri præferendus ſit, ſtabiliter definiri nihil poteſt. Cum enim ſermo rebus accommodandus ſit, ille anteponendus erit, qui rebus dicendis erit aptiſſimus. Aptiſſimus autem ex Tullii ſententia futurus eſt, qui *magna graviter*, *mediocria temperate*, *humilia ſubtiliter efferet*.

Annot. Varios proinde & multiplex, ac pro varietate rerum adhibitus omnis & quiscunque ſtilus erit præſtantiſſimus. Quare cum tria oratoris officia recenſeantur; docere, delectare, & movere; ubi docendum erit, ſtilo ſimplici ac tenui utetur; cum delectandi erunt auditores, mediocrem ſeu floridum & politum adhibebit: ſublimem & magnificum autem adſciſcet prudens orator, quocunque loco, aut orationis parte movendi videbuntur animi, & affectus concitandi.

g. Quam providenter autem ſtilus rebus ipſis attemperandus eſt, tam ſolerter item cavendum, ne in vitia ſtili prolabamur, fere namque imprudentes: ut Horatius obſervat, *vitia in contraria currunt*, quæ plurimum iſthic generum ſunt, ſecundum ſtilorum virtutes. Itaque.

1. *Stilus ſiccus*, *aridus*, & *diſſolutus* facile enaſcetur, ſi ſimplicitatem orationis tenuitatemque, eosque conſectaberis; ut non tan-

tantum ornatum quemcumque, ſed ſuccum etiam & colorem omnem, articulos, numerum, & ipſa, quibus orationis partes invicem illigari debent, vincula neglexeris. Familiaris admodum eſt hic lapſus juvenili ætati & artis tirocinio.

5. *Stilus frigidus & puerilis* evadet ex florido & polito, cum ornamentorum loco crepundia, alluſiones frivolæ; deſcriptiones ineptæ, lepores & acumina frigida affectantur, aut ornamenta etiam vero temere tamen & juveniliter coacervantur. In hoc vitium Aſiaticus tanto pronior erit, quo inconſulta garrulitas illi eſt magis affinis.

Annot. Sane videns quotidie in hujus ſtili Aſiatici imitatione quosdam exerrare odioſiſſime; qui plurimis pauciſſima dicunt, & ubi eloquentes eſſe volunt, ad congrua omnia juxta & incongrua evagantur, ad tertium quodvis verbum digreſſionibus novis interjectis. Ab hac inani verbonitate ſtatim a primis tirocinii annis cavendum eſt ſerio adoleſcentibus; quid enim tam inſulſum, imo, *quid tam furioſum*, ait Cic. L. 1. de Oratore, *quam verborum vel optimorum ſonitus inanis nulla ſubjecta ſententia.*

3. *Stilus tumidus & inflatus* oriri facile poteſt ex ſublimi: ultra modum ac menſuram aut anxie & inſcienter quæſito. Itaque ſtilus inflatus infarcit orationem verbis poëticis, allegoriis audacibus, figuris violentis & continentibus &c.

CAPUT V.

De Praeexercitamentis oratoriis.

a. Ut Palæſtritæ olim in ſchola ac umbra levioribus primum armis tirones ſuos exercitabant, priusquam in apricum ſolem & pulverem Circi publici eosdem prodire ſinerent: ita Rhetores non Græci modo, ſed latini etiam conſueverunt, ut ne diſcipulos ad ſummum oratoris opus (orationem) ſubitos aut imparatos adducerent, ſed præviis multis & variis minoris operæ exercitationibus egregie primum ſubigerent, & tum demum paratos nonnihil jam & exercitatos expeditius ed eloquentiæ arcem deducerent.

b. Primi qui exercitationes hujusmodi prævias ad certum numerum claſſemque redegerunt, ut fere omnis ceteræ oratoriæ auctores ſunt, fuere præceptores græci, & hos inter Aphtonius Sophiſtes, qui & numerum, & nomina, & tractationem ſingulorum libello de ea re conſcripto tradidit.

c. Univerſe quidem has exercitationes *Progymnaſmata* græce appellavit Aphtonius, noſtri *Præexercitamenta* latine transtulerunt, quod ſcilicet opus oratoriæ ſummum, orationem prægrediantur, & ad illud ſuſcipiendum tironem præparent.

d. Con-

d. Constituerunt autem præceptores Præexercitamenta numero quatuordecim, quibus hæc sunt nomina: *Fabula*, *Narratio*, *Chria*, *Sententia*, *Confutatio*, *Confirmatio*, *Locus communis*, *Laudatio*, *Vituperatio*, *Comparatio*, *Epopoeia*, *Descriptio*, *Caussa*, *Promulgatio legis*.

c. Neque vero nos omnium horum tractationem hodie nobis necessariam putabimus, magnoque temporis dispendio, & exiguo in rem oratoriam fructu progymnasmata omnia perreptabimus; sed nobiliora aliquot & usui ac utilitati interim futura solum persequemur, reliquis ad cursum ceteræ tractationis oratoriæ dilatis, ubi locis quæque suis occurrent.

§. I.

De Fabula & Narratione.

Conjunguntur tractationes horum duorum progymnasmatum non brevitatis solum caussa, sed ex eo maxime, quod utraque sit narratio, altera quidem fabulosa & ficta, altera autem vera & facta. Unde porro inferimus, utramque, qua narrat, iisdem narrationis legibus subjectam esse debere.

A. De Fabula.

a. Fabula definitur: *Oratio falsa veritatem effingens.*

b. Assi-

b. Aſſignantur autem a præceptoribus tria fabularum genera, nimirum: *rationalis*, *moralis & mixta.*

1. *Fabula rationalis*, quæ etiam *Parabola* vocatur, eſt dictum vel factum hominis alicujus ad mores inſtruendos effictum.

a. *Annot.* Non oportet revera dictum factumve eſſe, quod adducitur, neque enim alioquin effictum appellari poſſet, ſed ſatis omnino eſt, dici fierique potuiſſe. Exempla obvia erunt in Phædro aliisque; quorum aliqua ad calcem hujus libri adjuncta exhibeutur.

b. Certe ad mores etiam Chriſtianorum dirigendos non ipſe uſum apud Orientales pervagatiſſimum Parabolas proferendi dedignatus eſt divinus Salvator noſter pluribus St. Evangelii dlocis: *de virginibus decem; de paupere & divite; epulone, de filio prodigo &c*

2. *Fabula moralis*, quam alii *Apologum* nominant, eſt, quæ belluarum, aliarumque rerum inanimarum mores, indolem, & fictam ſermocinationom ad informandos hominum mores adhibet.

a. *Annot.* Vocant hoc genus etiam fabulas Aeſopicas, non quod earum auctor inventorque Aeſopus fuerit; quas longiſſime ante Aeſopi ætatem ab Homero Heſiodoque uſurpatas novimus, ſed quod illarum tractatio & ingenio ſa applicatio Aeſopo Phrygi in uſu & deliciis fuerit.

b. Patet jam nunc Parabolæ Apologique diſcrimen, inter quæ illud intereſt, quod Apologus ſit earum rerum, quæ fieri nulſo pacto poſ-

ſunt, ut cum belluas, arbores, plantas &c. loqui fingimus: Parabola autem ad eas res pertineat, quæ etſi reapſe non ſint, eſſe quidem certe hoc modo potuerunt.

e. Ne Apologos quidem reſpuit Spiritus S. in litteris divinis, qualis habetur inter olivam, ficum, vitem, rhamnum, & ceteras arbores judicum 9.

C. *Fabula mixta*, quod ipſum nomen indicat, eſt, quæ ex rationalis & moralis fabulæ admixtione componitur, & in qua proinde homines cum inanimis ſermocinari finguntur.

Annot. Omnium trium generum exemplaria in fine libri annexa inſpice, & fabularum leges in iis impletas diligenter obſerva.

c. Leges omni generi fabularum ut communes, in obſervatu neceſſariæ ſunt fere hæ paucæ:

1. Fabula quæcunque adjunctam habere debet interpretationem, plerumque apertam, nonnunquam etiam tectam, qua latens moralis illius ſenſus breviter nitideque explicetur. Hæc anima fabulæ eſt, qua carere ſine vitio nunquam poteſt, quamquam principio ne ponatur, an in fine? non valde referat, & utriusque extent exempla.

Annot. Principio nimirum poſita explicatio hæc *Præfabulatio* (Græcis Promythion), ſubjuncta autem *Affabulatio* (græce Epimythion) vocabitur.

2. Quo-

2. Quoniam quæcunque fabula narratio eſt, omnibus narrationis non ſolum ſimplicis & juſtæ, ſed etiam elegantis virtutibus inſtructam ornatamque eſſe decet.

Annot. Itaque præcepta omnia narrationis verae, quæ mox hic infra recenſebimus, huc quoque ad narrationem fictam & veriſimilem applicari poterunt ac debebunt.

d. Eſt autem fabulæ utilitas non una, ſed multiplex & plane mirabilis, ſi opportuno loco & tempore adhibeatur. Nam

1. Mirum in modum animos recreat, & quæ fere hilaritati conjuncta eſſe ſolet, attentionem efficit; id quod Demoſthenes apud Athenienſes opere ipſo probavit, cum faſtidioſos oſcitantesque eleganti fabella *de aſini umbra* repente illata ad graviſſimas, de quibus ante diſſeruerat, res attente porro audiendas revocavit primum; tum ad deſiderium etiam & alacritatem audiendi provocavit.

2. Ad docendum movendumque plus ſæpe fabulas conferre poſſe, quam elaboratiſſima oratorum opera, & profunda virorum graviſſimorum conſilia: exemplo Menenii Agrippæ liquet, qui, quod Senatus romani auctoritas, aut Patriciorum Nobiliumque irriti conatus impetrare nequiverunt; unico apologo plebem romanam

nam graviter offenſam ex monte Aventino, quo irata ſeceſſerat, in Urbem ab ira & furore ad concordiam traduxit.

3. Morum emendandorum, ac proinde vitiorum fuga & virtutis ſtudium, ut præcipuus fabulæ eſt ſcopus, ita facillimus plerumque & feliciſſimus eſt effectus. Cum enim philoſophica ſeveritas nimis ſæpe hoc fine ſuo fruſtretur, quo apertas exprobrationes fere reſpuunt homines; & ut canit Poëta: *caſtigatique remordent;* Poëtarum contra, qui fabularum condimento monitionum acerbitates temperant, medicina fere ſemper admittitur. Age vero, caſtiga inanium promiſſorum violatam fidem; & experiere, quanta inde offenſio pullulatura ſit, quam Poëta omnino defugit, qui lepidiſſima & breviſſima Phædri fabella (L. IV.) ſic vitium reprehendit:

Mons parturiens.

Mons parturiebat, gemitus immanes ciens,
Eratque in terris maxima expectatio:
At ille murem peperit. Hoc ſcriptum eſt tibi,
Qui magna cum minaris, extricas nihil.

B. De Narratione.

a. Narratio ea finitur: *Rei geſtæ vel quaſi geſtæ expoſitio.*

Annot.

Annot. Additum eſt, quaſi geſtæ, ut hac definitione omne genus Narrationum comprehendatur, nimirum oratoria etiam & fabuloſa ſeu poëtica.

b. Dividitur autem Narratio trifariam; eſt enim alia *hiſtorica*, alia *oratoria*, alia *fabuloſa.*

1. *Narratio hiſtorica*, quæ rem geſtam ut geſta eſt, & quo ordine geſta eſt, exponit, ſimplex, nuda, ingenua, nullorum ornamentorum affectatrix.

2. *Narratio oratoria* non ſolum rei geſtæ ſeriem, & pro libitu plus minusve adjunctorum enarrat, ſed ornatu etiam oratorio diſtinguit; & pro neceſſitate amplificat, exaggerat, extenuat, vix veris contenta, ſæpiſſime ad veroſimilia & conjecturas progreſſa.

3. *Narratio Fabuloſa*, ſeu *ficta* aut *poetica*, eſt, quæ in rei narratione nec veritati, nec ordini geſtorum adſtricta, fere veriſimilitudine tantum, nonnunquam commentis etiam, aut fictione veroſimili contenta, ornatu coloribus queſemper & abundantior & liberior eſt.

Annot. Notum eſt paſſim, ordinem hiſtoriæ Aeneidos a libro ſecundo incipere, cum Poëta illum a ſeptimo demum poſt Trojanum excidium anno ſit auſpicatus.

c. Narratio relata ad normam, qua conveſtitur, recte alia *ſimplex* dicitur, *ornata* alia, quibus duo

duobus generibus ſuperiora tria concluduntur, quoniam & hiſtorica, & oratoria, & poëtica narratio ſimplicius breviusque, aut contra uberius ſuaviusque ad audientium delectationem efferri poteſt.

Annot. **Explicatione non eget, quid ſimplex & ornata ſit narratio. Neque tamen ſimplicem dici putabimus; quod omni arte careat, ſed quod ars tota hujusmodi narrationis in brevitate & ingenuitate poſita ſit.**

d. Ex finibus quoque, ad quos narratio inſtruitur, alia *ad perſuadendum idonea*, alia *exaggerans*, alia denique *extenuans* narratio appellatur. Diſcrimina in exemplis conſpicua inferius fiunt.

e. quamcunque narrationem quatuor potiſſimum virtutibus prædıtam eſſe debere vult Tullius videlicet: *perſpicuitate*, *probabilitate*, *brevitate & ſuavitate*.

1. *Perſpicuitas* quidem virtus narrationis adeo neceſſaria eſt, ut Fabius inter primas oratoris partes recenſeat: curare, ut *dilucida, & negligenter quoque audientibus aperta ſit*, — — *ut in animum, tanquam ſol in oculos, etiamſi non intendatur, incurrat.* Reddunt vero narrationem perſpicuam ſequentia:

a. Si in narrando temporis ſervabitur ordo.

b. Si verbis propriis uſitatisque utemur.

c. Si ab interruptione narrationibus cavebimus.

d. Si ambiguitas quaecunque verborum diligenter devitabitur.

Annot. Manifeſtum eſt, a temporis ordine & verbis propriis in narrationibus fabuloſis & poëticis non recedi ſolum poſſe; ſed ſæpius debere.

2. *Probabilitas* narrationis in his præcipue ſita eſt:

a. Si narratio notas probabilitatis ſeu fidei præferat.

b. Si nihil abſonum fidei, vel a communi hominum ſenſu abhorrens adferatur.

c. Si narratio per adjuncta perſonarum, locorum, ac temporum, antecedentium, conſequentium &c. a quibus præſertim pendet facti probabilitas, clara & aperta fiat. Excellens plane hac virtute probabilitatis eſt narratio Ciceronis in Orat. pro Milon.

d. Si characteres agentium aut colloquentium accurate obſerventur.

Annot. Hæc characterum obſervatio fabuloſæ etiam narrationi probabilitatem conciliabit; ſic nimirum lupus rapax, vulpes aſtuta, agnus manſuetus, cervus timidus agens loquensque repræſentabitur; a quibus characteribus exhibendis ſi aberraveris & probabilitatem & veriſimilitudinem perdidiſti.

2. *Bre-*

3. *Brevitas* narrationis obtinebitur sequentibus cautelis:

a. Si narrandi initium non justo altius repetatur, ut ille, quem ridet Horatius: *Qui gemino bellum Trojanum orditur ab ovo.*

b. Si circumstantias, quæ ad rem non faciunt, recidas. *In portum veni, navem paratam aspexi, de pretio conveni, sublatæ sunt anchoræ, portu solvi.* Quid his opus omnibus? ut brevis sit narratio, abjectis ceteris omnibus suffecerit: *portu solvi.*

Annot. Magnopere tamen cavendum, ne, quod Horatius monet, accidat: *Brevis esse laboro, obscurus fio.* Itaque etiam remotiores circumstantiæ, sicubi claritas aut intelligentia postulaverit, non erunt negligendæ.

4. *Suavitas* tandem erit in illa narratione juxta monitum Cic. in Partit. orat. c. 9. *quæ habet admirationes, expectationes, exitus inopinatos, interpositos motus animorum, colloquia personarum, dolores, iracundias, metus, lætitias, cupiditates &c.* Hoc est, si diversis figuris, ceteroque ornatu rhetorico illustrabitur.

Annot. Efficaciorem præ ceteris jam ad ornandas illustrandasque narrationes habebunt schemata; *Hypotyposis, sustentatio, exclamatio, communicatio,* quæ omnia superius tradita sunt, tum *Dialogismus* quoque seu sermocinatio cum duo pluresve secum aut cum aliis

colloquentes inducuntur. Juvat exemplar talis Dialogifmi in verbicula illa narratione Ciceron. l. 1. Tufcul. QQ. fubtexere: *Scipio Nafica cum ad poetam Ennium veniſſet, eique ob oftio quaerenti Ennium ancilla dixiſſet domi non eſſe, Nafica fentit illam domini juſſu dixiſſe, & illum intus eſſe. Paucis poſt diebus cum ad Naficam veniſſet Ennius, & eum a janua quaereret, exclamat Nafica fe domi non eſſe. Tum Ennius: Quid? Hic Nafica: Homo es impudens; ego cum te quaererem, ancillae tuae credidi te domi non eſſe: tu mihi non credis ipſi.*

§. II.
De Chria.

a. Chria, vox græca, ufum, utilitatem, aut commodum fignificat; eft enim diligenter tractatum hoc præexercitamentum magno ufui deinceps futurum tironi, cum ad elaborandas majores orationes acceſſerit.

b. Definitur vero Chria *commemoratio dicti vel facti; aut utriusque conjuncti, quæ memoria omnino digna fint.*

c. Hinc divifio Chriæ in notiſſima fua genera facile derivatur; verfatur enim alia in verbis, alia in factis, alia in utroque fimul: aut ut brevius vulgo loquuntur: Chria eft vel *verbalis*, vel *activa*, vel *mixta*.

1. *Chria verbalis* eft commemoratio & accuratior explicatio dicti vel fententiæ gravis: ut

ut e. g. ſuper illo Senecæ: *Nulla eſt honeſta avaritia, niſi temporis.*

2. *Chria activa* eſt diffuſior expoſitio & exornatio alicujus facti illuſtris. Ut, *ſi factum Alexandri militem ſaucium purpuræ ſuæ involventis & manu propria foventis* exornes.

3. *Chria mixta* appellabitur, cum factum illuſtre ſententiæ memorabili conjunctum exponitur & inculcatur. Ita Diogenes Philoſophus, cum a ſtatua marmorea in foro manu identidem protenſa ſtipem peteret, mirantibus dehortantibusque amicis reſpondit: *At repulſam me experior.*

d. Partes tractationis cujusque demum Chriæ a præceptoribus octo aſſignantur, quæ ſequuntur.

1. *Encomium* ſeu laudatio auctoris, dicti factive, prout res poſtulabit.

Annot. Hæc pars, quæ univerſe Chrias inchoat exordii ſimul vices obit.

2. *Paraphraſis*, ſeu liberior accuratiorque propoſiti dicti aut facti explanatio.

3. *Cauſſa* Nimirum hoc loco cauſſæ adferendæ ſunt, quibus dictum factumve nititur ac confirmatur.

4. *Contrarium.* Ex contrapoſitis firmamenta ſententiæ aut facti allati deducuntur.

5. *Simile.* Una vel pluribus similitudinibus exornatur, ac illustratur, quod assumtum est.
6. *Exemplum.* Narratione factorum illustrium idem confirmatur.
7. *Testimonium.* Auctoritates virorum gravium in eandem rem adducuntur.
8. *Epilogus.* Apta & opportuna conclusione colliguntur, quae hucusque fusius allata sunt.

Annot. Fortassis melius omnis hæc, quanta est, doctrina hærebit, si exemplum aliquod oculis subjiciatur. Fatendum est equidem ingenue, ex nullo primæ notæ auctore suppeditare exemplar eminentis alicujus Chriæ; Itaque, qua licet, sarciemus, delibato unico multorum loco de Colonia non tam exemplo, quam exempli compendio.

Chria Verbalis

super illo Virgilii Aeneid. Lib. 10.

Breve & irreparabile tempus omnibus est vitae.

Encom. Cum optimo cuique poëtæ propositum esse debeat, ut misceat utile dulci: tum id Princeps Poëtarum latinorum passim præstitit & signanter cum de fluxa & caduca mortalium vita in Aeneide tot aliunde titulis incomparabili prorsus divine effatus est: *Breve & irreparabile tempus omnibus est vitæ.*

Paraph. Neque vero facile veritas altera certior, quam admodum parvo ortum & occasum no-

nostrum a natura disjunctum fuisse intervallo, mortem sæpissime obrepere improvisam, & quod his etiam funestius est, non improvidentiam hanc corrigi, non jacturam temporis incogitanter dimissi reparari ullo pacto posse.

Caussa. Est enim ex sapientissimi Conditoris lege singulis mortalibus certum vitæ præfinitum tempus, quod cum ex se angustis sæpe terminis constrictum sit, brevioribusque limitibus non raro imprudentia aut stultitia nostra circumscribatur, juxta illud Poëtæ: *Semotique prius tarda necessitas lethi corripuit gradum;* tamen hæc ipsa brevitas ab eodem Conditore nobis ad promerenda sempiternæ beatitatis præmia deputata est, quam si otiosi prætermittimus, si aliud agentibus devocatio improvisa, ut fere accidere solet, supervenit; breve merendi tempus ereptum sic est, ut revocari jam nullo pacto possit, quoniam non jam dies diem aliam extrudit, sed æternitas tempus omne absorbet, æternitas non merendo, sed possidendo tota quanta destinata.

Contrar. Exactum autem rite & ex optimi Conditoris voluntate breve vitæ istius tempus quam non brevem lætitiam, quam non mutabilem, quam non revocabilem lætitiam nobis est allaturum! Cum enim beata æternitas tota in possessione stabili felicitatis sita sit, vicissitudo nulla ibi locum habere potest, defectus nullus, cujus reparatio necessaria foret

 & quo-

quoniam ſine fine undique futura eſt, brevis omnino videri non poterit; quæ brevitas reperiri ſolum debet, cum deſideria aut vota alicubi ſuperſunt.

Simile. Si ex veritate, non ex falſa opinione, vitæ humanæ, ut longiſſima ſit, æſtimamus tempora; profecto fumus ſunt, qui mox evaneſcit, præceps torrens, cujus ferus ſtrepitus celerrime defluit & exſiccatut, flos, qui mane floruit, veſperi areſcit & decidit &c.

Exemplum. veritatem hanc non agnovere ſolum, ſed factis ipſis conſectati ſunt tot Chriſtiani heroes, qui brevem vitam indefeſſis laboribus, vigiliis, ſanguine redemerunt; tot teneræ virgines, quæ aſperrimis non naro ſuppliciis vitam profuderunt, felicitatem æternam mercatæ ſunt. Hoc ſcilicet eſt facere prolixiſſimam & ſapientiſſimam uſuram temporis breviſſimi.

Teſtim. Conſenſere in veritatem hanc omnium ſæculorum cordati homines, Philoſophi, Oratores: Poëtae, qui multiplici & una voce a jactura temporis nobis cavent, uſum ſolertiſſime inculcant. *Omnem crede diem tibi diluxiſſe ſupremum*, amico ingeminat Horatius, cujus proinde parciſſimus uſus prætermittendus non eſt, quoniam reparari nullo pacto poteſt. Chriſtianorum autem teſtium plena ſunt omnia ſæcula, pleni ſunt libri a ſpiritu Sancto nobiſcum communicati.

Epi-

Epilog. Brevitas proinde non minus, quam irreparabile temporis pretio*ſi*ſſimi damnum nobis identidem ob oculos verſari debet, quo fiet, vt neque, quæ laudabilia & bona nobis agenda ſunt, ea indiligenter differamus, & quæ dilata ſunt, ea deinceps extra omnem poteſtatem noſtram, (ut propoſitum, ut voluntas ſeria ſit) collocata eſſe intelligamus.

a. *Annot.* Quæcunque de Chriis verbalibus docuimus, ea omnia ad activas quoque & mixtas juſta proportione ſervata applicanda ſunt.

b. Cum partes octo Chriarum hic recenſitas vidimus nequaquam ad ordinem ſemper eundem partium, imo ne ad numerum quidem perpetuo adſtrictos nos putabimus; ſed liberrimum erit, prout res noſtra poſtulare videbitur, earum aliquas relictis nonnullis aſſumere, aſſumtas autem ordine nobis meliori viſo adducere. Cum prioris generis *Chrias juſtas ordinatasque* appellent, poſteriores iſtas *perturbatas* appellare fas erit.

c. Hoc modo ordinatas, aut his ſaltem partibus contextas Chrias Aphtonianas dixerunt, nomine ab earundem præceptore, ut patet, mutuato.

d. Affine omnino & magnitudine tantum diverſum genus Chriarum eſt, quod præceptores recentiores noſtri Ciceronianas nominarunt; conſtant enim quatuor plerumque partibus, quæ a ſuperioribus prope nihil diſſident. Sunt autem partes ſequentes:

1. *Protaſis*, quæ ipſa propoſitio rei aut ſententiæ eſt in quæſtionem venientis; un-

de hoc quoque nomine nonnunqam exprimitur, nempe *Propoſitionis.*

Annot. Contigit aliquando Protaſi exordium præmitti, quo ipſa propoſitio, ſi ita loqui licet, præparatur, ſolentque talia exordia ex communibus amplificationum fontibus hauriri.

2. *Aetiologia*, quæ rationes adfert, cur Protaſis vera aut falſa, laudanda vel vituperanda, accipienda vel reſpuenda ſit. Neque unica Aetiologia abſolvi negotium neceſſe eſt; poſſunt enim earum plures pro libitu & rerum momento coacervari.

Annot. Aetiologia ex diſciplinis atque experientia, ac proinde ex locis tropicis Rhetorum præſto eſſe poſſunt.

3. *Amplificatio.* Hæc pars ulterius exponit & declarat magnitudinem, gravitatem, dignitatem & veritatem rei propoſitæ, ſumiturque ex omnibus illis locis, quos ſupra de Amplificatione commemoravimus.

4. *Concluſio* aut repetit Protaſin, aut conſectaria inveſtigat & deducit.

Annot. Hæc Chria Ciceroniana vocatur item vel *Ordinata*, vel *inverſa*. *Ordinata eſt*, cum ordine ſeu naturali partes exhibentur, nempe ubi Protaſis præcedit, ſequitur, Aetiologia, ſuccedit Amplificatio, concluſio tandem ſubnectitur. *Inverſa* autem dicitur, quando vel Aetiologia præmittitur Protaſi, Protaſis vero tanquam conſequens ſuccedat vel cum Ampli-

plificatio tanquam Thesis antecedit Protasin: Protasis autem tanquam Consequens subiungitur. En Chriæ Ciceron. exemplum, quod habetur apud Cic. in Catone majore cap. 12.

Exord. Accipite optimi adolescentes veterum orationem Archytæ Tarentini, magni imprimis & præclari viri, quæ mihi tradita est, cum essem adolescens Tarenti cum Q. Maximo.

Protasis. Nullam capitaliorem pestem, quam corporis voluptatem hominibus dicebat a natura datam, cujus voluptatis avidæ libidines temere & effrenate ad potiendum incitarentur.

Aetiologia 1. (*ab effectibus*) Hinc patriæ proditiones, hinc rerum publicarum eversiones, hinc cum hostibus clandestina colloquia nasci; nullum denique scelus, nullum malum facinus esse, ad quod suscipiendum non libido voluptatis impelleret: stupra vero, adulteria, & omne tale flagitium nullis aliis illecebris excitari, nisi voluptate.

2. (*a caussa*) Cumque homini sive natura, sive quis Deus nihil mente præstabilius dedisset, huic divino numini nihil tam esse inimicum, quam voluptatem.

3. (*a contrario*) Nec enim libidine dominante temperantiæ locum esse omnino, nec in voluptatis regno virtutem posse consistere.

Ampli-

Amplificatio. Quod quo magis intelligi poſſet, fingere aliquem animo jubebat tanta incitatum voluptate corporis, quanta percipi poſſet maxima: nemini cenſebat fore dubium, quin tamdiu, dum ita gauderet, nihil agitare mente, nihil ratione, nihil cogitatione conſequi poſſet.

Concluſio. Quocirca nihil tam deteſtabile: tamque peſtiferum eſſe, quam voluptatem.

Annot. Re omnino accurate conſiderata Chria utraque fortaſſis nihil aliud eſt, quam prolixior aliqua amplificatio; faciliorque poſtrema hæc: difficilior, præſertim tironibus prior: quoniam promtiorem jam aliquando locorum Rhetoricorum uſum deſiderat. Interim & earum exercitatio fructu ſuo non carebit, & prior illa nonnunquam in orationibus ſubitis ordine ſuo opportunum ſubſidium dicentibus adminiſtrabit.

§. III.

De Loco communi & Deſcriptione.

A. *De loco cumnuni.*

a. Locus communis ſitne ſchema, an præexercitamentum; differatne item a theſi? aut quomodo? nimis ſubtiliter a quibusdam præceptoribus græcis ac latinis, & nullo omnino fructu diſputatum eſt. Non neceſſarium ſæpe amplificationibus, utilemque exercitationem tironibus Oratoriæ rati, ſumma ſolum capita perſequimur.

b. De

b. Definiebatur autem locus communis apud Sophiſtas *oratio, quæ bona vel mala exaggerat, quæ in aliquo inſunt.* Contra apud præceptores hodiernos melius: *Aſcenſio a re ſingulari vel particulari ad univerſalem.* Sic Cic. ſæpe, & nominatim l. 3. de Orat. c. 15. ex arte oratoria tranſit ad artes generatim, earumque cognationem. Sic item pro Marcell. c. 3. ut laudet Cæſaris clementiam, generatim de virtute clementiæ prædicat.

Annot. Sortitum eſt hoc præexercitamentum nomen communis loci, quia communiter convenit iis omnibus, qui boni vel mali talis participes ſunt. Si Scipionem Africanum de continentia efferas, laus illa quibuscunque continentibus competere poteſt.

2. Quia vero non tam formam, quam Sophiſtæ progymnaſmati huic præſignarunt, quam rem ipſam utilem tironibus noſtris, ac illorum proinde exercitationi commendandam judicamus partes, quas loco communi exornando præfixerunt, *Contrarium*, *Expoſitionem*, *Comparationem*, *Sententiam*, *Digreſſionem*, *Excluſionem*, poſtremo, a *legitimo*, a *juſto*, ab *utili*, *a facili*, ab *honeſto* &c. nulli ad finem noſtrum uſui omnino negligimus.

c. Nihil apud Oratores ſummos frequentius, quam tractatio alicujus loci communis occurrit; mirifice namque valet ad probandum, exornandum, amplificandum, acriterque ac rite concludendum. Itaque creberrime relictis propoſitionibus particularibus, quas verſant,

ſant, videas repente, & quaſi aliud agentes ad locum aliquem communem delapſos, unde quæ de univerſis bona vel mala demonſtrata ſunt, facillime & rectiſſime ad particularia aut ſingularia transferuntur.

d. Exempla nitidiſſime declarabunt, hujus tractationis uſum viris in Oratoria conſummatis oppido familiarem fuiſſe.

1. Apud Ciceron. in Somnio Scipion. c. 3. Africanum minorem ad defendendam rempublicam romanam inflammans, cum in illum totam civitatem (Romanam), Senatum, omnes bonos, ſocios, Latinos converſos eſſe dixiſſet, repente tranſit ad gloriam eorum, qui patriam defendunt, ibi: *Sed quo ſis Africane alacrior ad tutandam rempublicam, ſic habeto: Omnibus: qui patriam conſervarint, adjuverint, auxerint, certum eſſe in coelo, ac definitum locum, ubi beati ævo ſempiterno fruantur. Nihil eſt enim illi principi Deo, qui omnem hunc mundum regit, quod quidem in terris fiat, acceptius, quam concilia coetusque hominum, jure ſociati, quæ civitates appellantur: harum rectores & conſervatores hinc profecti, huc revertuntur.*

2. Iterum Cicer. Philipp. 1. c. 14. cum Antonio agens, ne dominari aut metui cupiat, ad locum communem ſic transgreditur:

To-

Totam ignoras viam gloriæ. Carum esse civem, bene de republica mereri, laudari, coli, diligi gloriosum est. Metui vero & in odio esse, invidiosum, detestabile, imbecillum, caducum. Quod videmus etiam in fabula illi ipsi, qui, ODERINT DUM METUANT, *dixerit, perniciosum fuisse. — — Illa erat vita, illa secunda fortuna: libertate esse parem cum ceteris, principem dignitate.*

3. Aliud ex Cic. exemplum est Philipp. 8. c. 10. ubi cum non satis contentus esset cum Consulibus & quibusdam consularibus; quod ex dignitate sua & reipublicæ cum Antonio aut ejus legato egisse non videbantur, repente transvolat ad locum communem, ex eoque tacite exprobrat ibi: *O Dii immortales! quam magnum est, personam in republica tueri principis, quæ non animis solum debet, sed etiam oculis servire civium. — — — Nam illud quidem non adducor, ut credam, esse quosdam, qui invideant alicujus constantiæ, qui laboribus, qui ejus perpetuam in republica adjuvanda voluntatem & a senatu, & a populo romano probari moleste ferant. Omnes id quidem facere debebamus, eaque erat non modo apud majores nostros, sed etiam nuper summa laus Consularium, vigilare, cogitare, adesse animo, semper aliquid pro republica aut facere, aut dicere.*

a. *Annot.*

a. *Annot.* Recte monet Aphtonius, locum communem procemium non habere; eft enim argumentationi jam peractæ, & epilogo fimilis. Nos addimus: quamquam in omni orationis parte tractari valeat locus communis, in Conclufionibus tamen vel partium vel totius orationis plerumque adhiberi, cum ibi præfertim amplificationes admovere oporteat auditori.

b. Cavendum deinde quam diligenter oratori, ut ne longius fortaffis aliquem locum communem arceffat, ne valde tritum vel vulgarem deligat & ne in eo tractando diutius immoretur, quam res poftulare videatur.

B. *De Defcriptione.*

a Defcriptio eft rei expofitio tam clara & vivida, ut non tam narrari, quam ante oculos repræfentari videatur. Unde patet, eam in rebus quibusdam ad vivum exprimendis, & quafi pingendis immorari debere.

Annot. Facile infpectione tam præceptionum, quam exemplorum conficitur, defcriptionem reipfa non effe nifi narrationem, fed fublimioris ordinis.

b. Sunt autem defcriptionis materia vel *perfonæ*, vel *res*, vel *tempora*, quibus capitibus totum comprehenditur, quod defcribendum affumi poteft. Nam loca, irrationalia animalia, plantæ, ceteraque hujus generis, fi qua funt juftiffime ad rerum claffem revocantur.

1. *Per-*

1. *Perſonae* itaque ſi deſcribentur, monent praeceptores, a primis ad ultima, ſeu a capite ad pedes (ut loquitur Aphtonius) procedendum, id eſt, ordine quodam progrediendum eſſe; neque enim perpetuo externae corporis formae depingentur. Ordinem ſi ſus deque perturbes, verendum, ne vividae loco imago admodum obſcura & confuſa exurgat.

2. *Res* autem cum deſcriptione tractabuntur, antecedentia potiſſimum & conſequentia conſiderabuntur, atque ex iis deſcriptio informanda erit.

3. *Tempora* porro a circumtenentibus, & iis, quae inſunt, ſeu ab adjunctis (externis & internis), ut hodie vocamus, deſcribentur.

c. Deſcriptionum genus duplex numeratur, *ſimplices* videlicet & *conjunctae.*

1. *Simplex* ea appellatur apud artis praeceptores, quae unum ſolum caput ex recenſitis deſcribendum ſuſcipit. Talis eſt deſcriptio e. g. ex Cicerone 2. in Verrem c. 52. Urbis Syracuſarum; vel deſcriptio Catonis apud Liv. XXXIX. c. 40, quarum prima rem tantum, altera perſonam tantum pingit.

2. *Conjuncta* autem ea vocantur, quae duo aut plura supra memoratorum thematum conjunctim pertractat; ut: Annibalis a Fabio Maximo conclusi evasionem nocturno tempore ope boum ignes cornibus praeferentium; ubi videres & *tempus* descriptione eadem conjungi, & elegantissime exprimi.

d. Alia descriptionum divisio spectata exteriori elocutionis forma est itidem in *simplices*, & his oppositas *ornatas*.

1. *Simplices* hoc intellectu idem prope sunt, quod de narrationibus supra meminimus, quae videlicet expositio ornatu omni carent, & nudae quidem, sed ingenuae tamen & virili habitu decorae comparent.

2. *Ornatae* autem, quae oratorio cultu figurarum, troporum &c. comtae ac perpolitae sunt. En exemplum utriusque:

a. *Descriptio simplex*, quae extat apud Cic. l. 4. in Verr. c. 34. de Dianae Segestanae simulacro: *Erat admodum amplum & excelsum signum cum stola: verumtamen inerat in illa magnitudine aetas, atque habitus virginalis. Sagittae pendebant ab humero, sinistra manu retinebat arcum, dextra ardentem facem praeferebat.*

Aliud istius generis exemplum est in Cicer. 2. in Rull. c. 32. *Deleta Carthago est, quod cum hominum copiis, tum*

ipsa

ipsa natura ac loco, succincta portubus, armata muris, excurrere in Africa, imminere ita fructuosissimis insulis populi romani videbatur. Quid his planius simpliciusque.

b. *Descriptio ornatior* habetur apud eumdem Cic. l. 5. in Verr. c. 27. *Latumias Syracusanas omnes audistis, plerique nostis. Opus est ingens, magnificum, regum & tyrannorum. Totum est ex saxo in mirandam altitudinem depresso, & multorum operis penitus exciso. Nihil tam clausum ad exitus, nihil tam septum undique, nihil tam tutum ad custodias nec fieri, nec cogitari potest &c.*

De coena autem Pisoniana idem Cic. orat. in Pison. c. 27. quam elegans & ornatus est, ibi: *Nihil apud hanc lautum, nihil elegans, nihil exquisitum (laudabo inimicum) ne magnopere quidem quidquam praeter libidines sumtuosum. Torevma nullum, maximi calices, & hi, ne contemnere suos videatur, Placentini: extructa mensa non conchyliis aut piscibus, sed multa carne subrancida. Servi sorditati ministrant, nonnulli etiam senes; idem coquus, idem atriensis: pistor domi nullus, nulla cella, panis & vinum a propala, atque de cuppa &c.*

 An-

Annot. Videſis ad calcem libri deſcriptiones plures; & attende examina.

e Virtutes deſcriptionum fere hae ſunt ex ſummorum oratorum praeceptis & exemplis:

1. Ut clara lucidaque ſit, ſine quo nunquam efficiet, ut id, quod ante omnia curandum eſt, res deſcripta oculis cerni videatur.

2. Ut deſcriptio loco & tempore opportuno adhibeatur; eſt enim deſcriptio ornatus, qui proinde non temere adſciſci, ſed ſuis locis, temporibus, imo & finibus conveniens exquirendus erit. Aliter certe ad perſuaſionem, aliter ad delectationem deſcribendum eſt.

3. Ut ſimplicitas in diſcriptione curetur, cum decet, & rurſum, cum expediet, ad ornatum aſſurgatur, in quo defoecato judicio & prudentia opus eſt.

f. Contra vero in vitiis deſcriptionum numerabitur:

1. Si ſcitu vel neceſſaria, vel quae intelligentiam ſaltem adjuvant, clarioremque reddere valent, praemittantur.

Annot. Non raro ad virtutes referendum erit, ſi pulchra etiam & bona negligantur, ne ſcilicet ſtudium, labor & affectatio appareat.

2. Si ea conſectabimur, quae auditu digna non ſunt, aut ſaltem attentionem peculiarem non merentur.

3. Si

3. Si aliena adjunguntur, vel extra ſepta feramur, ut eſt in proverbio; quod vitium prope omni juventuti nimis quam familiare eſt.

§. IV.

De Laudatione & Vituperatione.

A. *De Laudatione.*

a. Laudatio paſſim definitur *Oratio explicans bona, quae alicui inſunt, vel adhaerent.*

b. Quamquam laudis latiſſimus eſt campus, ordinis tamen & commoditatis cauſſa omnis laudationis themata in tres claſſes diſtribuuntur: vel enim *homines* laudamus, vel *facta* aliqua, vel denique *res* promiſcue quascunque; ſingulorum tractandorum diverſi ſunt fontes.

1. *Homines* equidem cum laudaturi ſumus, ad duo generalia capita revocari ſolent, quaecunque bona in homine, ac proinde laude digna occurrunt, nempe ad *bona externa & bona interna.*

a. *Bona externa* rurſus bifariam conſiderari poſſunt.

1. *Bona corporis*, ut: formae venuſtas & dignitas, valetudo, vires, dexteritas &c. ſenſuum vigor, e. g. pedum velocitas, manuum robur, vocis ſuavitas &c.

a. *Bona foris advenientia*, ut: generis & patriae nobilitas, opulentia, gratia apud summos & infimos, amicorum & clientum numerus, honores aut magistratus gesti, fama nominis, felicitas constans, decreta publica, meritorum praemia &c.

Annot. Haec utraque bona, etsi ex se laudem veram vix mereantur, tanquam beneficia tamen summi Dei: & quod iisdem aut cum virtute quis sit usus, aut sepienter caruerit, aut denique aequo animo jacturam tulerit, justa laudationis capita erunt.

b. *Bona interna* seu animi, quae proprie bona tantum sunt, virtute sola & unica continentur, quoniam vero ex Philosophorum partitione virtus duplex est, Cognitionis scilicet & Actionis.

1. *Cognitionis virtutes* praedicari in aliquo poterunt: memoria imperturbata & docilitas; acumen ingenii in rebus pervidendis; ubertas in inveniendo; judicium in discernendo; prudentia in rebus suscipiendis exprimendisque; indoles animi excelsa ad res magnas gerendas nata; linguarum peritia; eloquentiae & aliarum artium liberalium politiorumque, tum philosophicarum disciplinarum & Jurisprudentiae cognitio.

2. *Actio-*

2. *Actionis virtutes*, si inerunt, laudabuntur: Temperantia, & quae cum illa longo ordine copulantur: Modus, Frugalitas, Continentia, Pudicitia, Sobrietas, Clementia, Modestia, ac virtutum omnium custos, ut Cic. ait, Verecundia; tum Fortitudo quoque cum Patientia & Perseverantia; denique Justitia cum cognatis suis: Religione, Pietate, grato animo, Innocentia, Obedientia, Observantia, Benevolentia, Veritate, Fidelitate, integritate, Humanitate, Affabilitate &c.

Annot. Non omittant hoc loco praeceptores, juventutem sibi creditam obiter & in transitu commonefacere, quis chorus virtutum desideretur, ut unam & solam germanam laudem mereantur, ad quam ipsis tota vita conandum est: viri nempe sincera virtute praediti.

3. *Facta*, quae cum hominis laude fere semper conjuncta sunt, laudem sortientur ex tribus praecipue fontibus, nimirum:

a. *Ab honesto*, si factum fuit legibus conforme, decorum, cum virtutibus omnis generis consentaneum, cum fama nominis conjunctum.

b. *Ab utili*, si factum publicae utilitati serviit; si in plurimos inde utilitas redun-

dundavit; ſi maxima inde bona nata, ſi mala depulſa ſunt.

c. *A Difficili*, ſi factum magno periculo, ſumptu, labore perpetratum eſt; ſi primus quis auſus eſt, ſi ſolus, vel iniquo loco, vel brevi tempore, vel in temporis pariter & rerum anguſtiis ſuſcepit, feliciterque executus eſt &c.

3. *Res*, ut variae & multae in laudationem venire poſſunt, ita praecipue in genere hoc laudari ſolent aut *Nationes*, aut *Familiae*, aut *Regiones*, aut *Urbes*.

a. *Nationes* laudem derivare poſſunt a primordiis, antiquitate, primo auctore aut fundatore, educatione, moribus, viris illuſtribus, qui virtutibus, ſcientiis vel artibus floruerunt.

b. *Familiae* autem ab opibus, facultatibus, dignitatibus, imperiis, rebus geſtis, procuratis utilitatibus &c. laudabuntur.

c. *Regiones* porro a coeli aërisque ſalubritate, ubertate ſolis, fructuum frugumque varietate & praeſtantia, a munitionibus arte vel natura obtentis; a montibus foecundis, fluminibus, fodinis &c. celebrari poterunt.

d. *Urbes* tandem praeter aëris ſalubritatem a ſitus amoenitate, vitae commoditate, aedi-

aedificiorum pulchritudine, artium flore, denique ab incolarum & accolarum excellentia, & ab omnibus iis, quaecunque ad utilitatem aut delectationem faciunt, laudem ducent.

e. Quemadmodum ex horum fontium aliquibus repetere laudationis themata pro re nata expeditissimum est, ita valde curandum erit in ipsa laudis elocutione.

1. Ut genus laudis cuique themati tantum proprium seligas.
2. Ut neque res omnes: quae laudationi occurrere fortasse poterunt, neque obvias persequaris, sed res tantum magnitudine, novitate, aut genere singulares complectaris.
3. Ut ea praesertim laudando deligantur, quae in aliorum vel publicam salutem aut utilitatem sine spe praemii aut emolumenti proprii suscepta sunt.
4. Ut praeferantur in laudationis themate virtutes, quas sociales appellant, e. g. morum compositio, fides, in omnes comitas, & amor &c.
5. Ut ex comparatione cum praestantibus viris aequalitas, aut forte penitus excellentia ejus, quem tu laudas, eliciatur.
6. Ut virtus herois tui etiam cum aliorum vitiis contendatur.

Annot. Cum fontes hi omnes, qui alias largissimi, aridi fortassis laudationis tuae themati futuri judicabuntur, tum vero oratio & laus ad locum aliquem communem traducenda est.

f. Neque minori item sollicitudine cavendum erit in laudationis tractatione.

1. Ne laudum fictarum quid adferatur, quae & decus omne orationis corrumpunt, & veris etiam laudibus detrahunt.

2. Ne res exiles, pervulgatae, aut quotidianae in laudis argumentum assumantur.

3. Ne immodice saltem extollantur, si tamen in graviorum inopia leviores res aliquando laudandae erunt.

Rerum laudandarum ordinem diversi praeceptores diversum exigunt. Veteres universi naturali ordine contenti sunt; hodierni artificialem quemdam præferunt.

1. *Naturalis* autem ordo ille vocatur, qui servat ordinem temporis naturalem. Itaque primum

a. *Tempus ante vitam* spectat, & ad hoc patriam, parentes, nobilitatem, praesagia & signa futurae claritudinis, diem & horam natalem &c. refert.

b. *Tempus in vita* deinde complectitur facta omnia secundum humanae vitae aeta-

tates, formae decorem, indolem liberalem, educationem, institutores, morum integritatem, virtutum & artium studia; tum dignitates, res praeclare privatim & publice gestas, fortitudinem, prudentiam; postremo vigorem animi, honesta studia, consilium, constantiam &c.

c. *Tempus post vitam* offert genus mortis, luctum bonorum, desiderium relictum, decreta virtutis praemia, funeris pompa, monumenta &c.

Annot. Fatendum est, ordinem hunc historiae potius, quam orationi convenire, nisi admodum illustribus figuris acutisque sententiis distinguatur, in quo genere Plinius Panegyricum suum exemplar nobis reliquit imitatione equidem dignissimum, sed nulla hactenus expressum.

2. *Artificialis ordo* laudationis ille est, qui facta omnia & laudes ad certa quaedam capita revocat; & hoc modo instituitur:

a. Argumentum omne laudis contrahitur ad certam aliquam virtutem: e. g. ad prudentiam, ad fortitudinem &c. vel etiam ad dignitatem aliquam aut munus illius, qui laudatur, v. g. ad munus Regis, Judicis, Imperatoris, Civis &c. Partes argumenti talis simul partes laudationis definiunt.

b. Huc

b. Huc reducentur omnia dicta factaque ex vita hominis laudati, quae quidem proprie eo ſpectare videbuntur.

c. Actiones etiam aliarum virtutum, quibus quis excelluit, huc accomodantur; ſunt enim virtutes omnes affinitate quadam conjunctae.

d. Ad idem argumentum referuntur quoque genus; educatio, varii fortunae eventus, imo mors etiam.

h. Sed juverit fortaſſe exemplaria aliqua in peritiſſimo artis oratoriae Cicerone intueri. En ſubjunctum duplex:

I. Eſt ex Orat. pro Fontejo c. 14. deſumtum, ubi ſic loquitur: *Frugi igitur hominem* (Fontejum) *judices, frugi inquam, & in omnibus vitae partibus moderatum ac temperantem, plenum pudoris, plenum officii, plenum religionis videtis poſitum in veſtra fide, ac poteſtate. Praeſertim cum tot res ſint, quae veſtris animis pro hujus innocentis ſalute ſupplicent: primum generis antiquitas, quam Tuſculo ex clariſſimo municipio profectam in monumentis rerum geſtarum inciſam ac notatam videmus: tum autem continuae praeturae, quae & caeteris ornamentis, & exiſtimatione innocentiae maxime floruerunt; Deinde recens memoria parentis, cujus ſanguine non ſolum Aſculanorum manus, a qua eſt inter-*

interemtus, ſed totum iſtud ſociale bellum maculá ſceleris imbutum eſt; poſtremo ipſe cum in omnibus vitae partibus honeſtus, atque integer, tum in re militari cum ſummi conſilii & maximi animi, tum vero uſu quoque bellorum gerendorum in primis eorum hominum, qui nunc ſunt, exercitatus -- - Quae ſi diligenter attenditis, virum ad labores belli impigrum: ad pericula fortem; ad uſum ac diſciplinam peritum; ad conſilia prudentem; ad caſum fortunamque felicem, domi vobis, ac liberis veſtris retinere malitis.

II. Agit de laudibus Q. Fabii Maximi, quod habetur in libro de Seneꝏt. c. 4. his verbis: *Hic & bella gerebat, ut adoleſcens, cum plane grandis eſſet: & Hannibalem juveniliter exultantem, patientia ſua molliebat. Tarentum vero qua vigilantia, quo conſilio recepit? &c. Nec vero ille in luce modo atque in oculis civium magnus, ſed intus, domique praeſtantior. Qui ſermo? quae praecepta? quanta notitia antiquitatis? quae ſcientia juris augurii? Multae etiam, ut in homine romano, litterae. Omnia memoria tenebat non domeſtica ſolum, ſed etiam externa bella: cujus ſermone ita tum cupide fruebar, quaſi jam divinarem id, quod evenit, illo extincto, fore, unde diſcerem, neminem.*

B. *De Vituperatione.*

a. Vituperationis definitio partitioque facile ex laudationis fontibus deducitur; eſt enim contrariorum, ut jam alias monuimus, eadem ratio & diſciplina. Itaque

b. Vituperatio definietur: *Oratio explicans mala, quae alicui inſunt, vel adhaerent.*

c. Ut autem vera laudationis materia proprie ſunt unae & ſolae virtutes, ita vituperationis materia erunt ſola vitia, quae itidem vel in perſonis, vel in factis, vel in rebus inveniuntur.

d. Sed ſunt inter ipſa vitia quidam, ſi ita dicere licet, turpitudinis gradus, ut pulchritudinis inter virtutes, ad quod oratorem attentum eſſe oportebit. Itaque vitia

1. *Viliora* communi bene moratorum ſententia cenſetur ea, quae corpus, corporeosque ſenſus relationem habent, & homines prope ad pecudum claſſem depriment. Hujus generis ſunt: Voracitas, ebrietas, impudicitia, ignavia, pigritia, timiditas, levitas, inconſtantia, incuria, inurbanitas &c.

2. *Odioſiora* reputantur illa, quae animos ſocietatis irritant, aliorumque amorem proprium laedunt. Talia ſunt: Superbia, faſtus, oſtentatio, gloriatio, contemtus aliorum,

rum, confidentia, audacia, contumacia, protervitas, maledicendi, contradicendi, imperitandi libido, invidia &c.

3. *Nocentiora* demum ſunt: Duritas animi, avaritia, injuſtitia, rapacitas, fraudulentia, infidelitas, crudelitas & quidquid proximis injurias graviores aut damna accerſere poteſt.

4. *Propinqua* & finitima virtutibus vitia ſuum quoque ex merito in vituperandis recipiunt gradum. Imitantur vero juxta Ciceron. In Partit. Prudentiam *malitia*, magnitudinem animi *ſuperbia*, liberalitatem *effuſio*, fortitudinem *audacia* vel etiam *temeritas*, & patientiam *duritia* immanis, & juſtitiam *acerbitas*, & religionem *ſuperſtitio*, & lenitatem *mollitia* animi, & verecundiam *timiditas*, & hanc oratoriam vim *inanis quaedam profluentia loquendi.*

e. In vituperationibus etiam juſtiſſimis univerſe adhuc circumſpectiſſime cavendum.

1. Nunquam vituperii materiam eſſe poſſe aut debere defectum aliquem bonorum externorum corporis, aut internorum quidem, ſed quae in noſtra poteſtate minime poſita ſunt, ut ingenii, memoriae, judicii &c. ſed morum vitia tantum.

2. Maligna interpretamenta, quibus vitia nonnunquam, quae reipſa non ſunt, tanquam Phan-

Phantasmata efficiuntur, serio devitanda sunt; non enim pugnant solum cum charitate christiana, sed indolem quoque hominis ingenui & liberalis dedecent, opprobrioque sunt.

3. Si vituperandi aliquando sint homines, ab acerbitate perpetuo abstinendum est, neque nisi in vitia aut personas fictas effundi potest, si quid acerbius fortassis proferendum videatur.

f. Non rara vituperationum exemplaria in Cicerone praesto sunt, nos unicum hic inspiciemus; quod in Campanos evibrat 1. in Rull. c. 35. *Campani semper superbi bonitate agrorum, & fructuum magnitudine, urbis salubritate, descriptione, pulchritudine. Ex hac copia, atque omnium rerum affluentia, primum illa nata sunt: arrogantia, qua a majoribus nostris alterum Capua Consulem postulavit; deinde ea luxuries, quae ipsum Hannibalem, armis etiam tum invictum, voluptate vicit.*

Annot. Paullo accuratius de praeexercitamentis his duobus commentari visum est, ut ne ob laudationes eadem fere deinceps serius retractanda essent, & ut confutationibus etiam in quibus vituperia nonnunquam locum habent, praecluderetur.

IN-

INSTITUTIONUM ORATORIARUM

PARS II.

DE INVENTIONE.

a. *Inventio* definitur: *Excogitatio rerum verarum aut verosimilium, quæ reddant quæstionem probabilem*, vel ut brevius alii: *Est excogitatio argumentorum tum ad fidem propositioni faciendam, tum ad motus excitandos.*

b. Duplex igitur inventio oratori curanda est, una, quæ argumenta conquirat, ex quibus fides seu probabilitas existat; altera, quæ de subsidiis exornandi & amplificandi, ac proinde motibus seu affectibus in oratione ciendis investigat. Itaque primum de argumentis, posterius de motibus tractandum erit.

CAPVT I.

De Argumentis.

a. *Argumentum* definitur: *Probabile inventum ad faciendam fidem*, vel etiam a Cicerone: *Ratio rei dubiæ faciens fidem.*

b. Aſſignantur autem tres argumentorum claſſes, quæ pro merito ſuo magis minusve fidem faciunt, *certa* nimirum *probabilia & dubia.*

1. *Argumenta certa* reputantur fere hæc:

a. Quæ videmus, audimus, aut ſenſibus percipimus.

b. Quæ communi ſententia probata ſunt, e. g. *Præſtandam eſſe pietatem parentibus.*

c. Quæ legibus cauta, aut moribus recepta ſunt.

d. Quibus adverſarius non contradicit.

2. *Argumenta probabilia* ſunt iſta:

a. Quæ fere ſemper accidunt, e. g. *Liberos a parentibus amari.*

b. Quæ communi æſtimatione prope certa ſunt, ut: *eum, qui recte valet, in craſtinum perventurum.*

c. Quæ ſimplicem aliquam ſpeciem veritatis habent: e. g. *in domo furtum factum ab eo, qui domi fuit.*

3. *Argumenta dubia* ſunt omnia, quæ dubiam ſolum habent fidem, & quæ per probabilia firmantur. Sic dubium eſt, *an omnes Catilinæ ſocii conjurarint?* firmatur per hanc propoſitionem probabilem: *Homines æris alieni magnitudine oppreſſos, eos denique*

que egentes & sumtuosos, facile adduci, ut conjurent.

c. Quoniam sine argumentorum pondere omnis oratio ornamentis utcunque affluens inanis verbositas potius dicenda est, quam oratio: hinc præcipuam & summam orationis curam ad argumentorum comparationem conversam, ac Oratorem pertissime instructum esse oportet de fontibus, unde argumenta præsto esse valeant.

§. I.

De Locis Oratoriis.

a. Fons quidem unus ut certissimus, ita largissimus, unde argumenta hauriri possunt, est sine controversia ingenium cujusque præsertim ingenium literis lectione, & usu rerum subactum ac nutritum.

Annot. Cum nihil homini non prorsus immaturo magis proprium sit, nihilque expeditius, quam ratiocinari, id est, rationes cujusve rei veras, vel probabiles, nonnunquam etiam falsas, reddere; maximi sane compendii in totam Oratoriam futurum est, tirones artis statim inde a primis rudimentis dextre ad istam ingenii exercitationem ducere, atque ita naturam arte, qua licebit, adjuvare.

2. Quoniam autem tirones nostri Philosophia & Logica adeo hucusque carent, quæ eos in ratiocinando dirrigat, gnavi præceptorores industriam juvenum suorum in hoc præcipue genere acuent, fulcientque.

3. Fuere eorum nonnulli, qui non exiguo ſane fructu adoleſcentes ſibi creditos in aditu ſtatim artis oratoriæ identidem propoſitis thematis ad reperiendas propoſitionum rationes pro re nata copioſas aut plures ſaltem aſſuefecerant, in quo erudiendi genere ſere methodum Socratic am multis quæſitis eos juvandi & rem ipſam eliciendi in ſubſidium advocarunt. Libet rem in exemplo uno inſpicere.

a. Statuatur propoſitio: *peregrinationes ad exteras nationes ſunt inſtituendæ.* Si rationes reddere jubeatur adoleſcens propoſitionis, reddet fortaſſis has, aut his ſimiles: *Quia multa diſci poſſunt apud exteros;* item *quia multa videntur, foris patriam, quæ domi non videntur*, item adhuc: *quia jucundum eſt videre urbes, templa, palatia, diverſos homines.* Cum hæſitabit juvenis, juvandus erit quæſtione una alterave, ut: An juvenes viroſque noverit magna laude commendatos, qui exteras provincias viſitarunt, *aut* eodemne modo regna omnia & reſpublicæ regantur? unde argumenta deinde conformare doceatur, nempe: *Quia multi illuſtres homines reverſi ab exteris ornant patriam*, vel: *Quia, qui peregrinantur, diverſas regnorum & rerumpublicarum formas coram ſpectant, ac propterea diverſa gubernandi genera penitus diſpiciunt, ac perdiſcunt.* Denique ulterius quæſitis excitari poterit tironis in hoc themate circumſpectio, e. g. An apud exteros obſervationes colligi poſſint, quæ patriæ utiles ſint? *vel* Reperianturne apud exteros viri ſapientes? docti? fortes milites? magni clarique Imperatores? artifices celeberrimi? & tribunalia, conſilia &c. ordinatiſſima? *aut etiam* Memineritne ex hiſtoria, ſummos viros ſapientiæ cauſſa peregre profectos: Platonem, Pythagoram, Romanos? noviſſime Monarchas, Petrum Ruſ-

ſo-

forum, & Josephum II. Romanorum? &c. Redactæ in argumenta responsiones luculentissimæ propositionem stabilient & illustrabunt.

b. Quemadmodum in deliberativo genere, eodem prorsus modo in alio cujuscunque generis themate ad rem aggredere. Experire in aliquo exornativi generis. Salutandus est hospes, Propositio igitur: *Lætor adventu hospitis*. Si scisciteris ex tirone tuo, jucandumne sit, hunc hominem præsentem videre? & qua de caussa? succuret fortassis juveni facile responsio; *Quia sapientia clarus est; quia tot rebus gestis, tot meritis, tot honorum titulis celeber*. Si sciscitari pergas: Beneficiisne te aut tuos aliquando forte affecerit? Principine carus sit? An auctoritate polleat & amore apud populum? & cur? Forte ob consiliorum sagacitatem & providentiam? ob justitiæ incorruptam administrationem? ob res maximas belli gestas? &c. En totidem argumenta themati suo elaborando nullo fere labore collegit juvenis, quot responsiones quæsitis reddidit.

4. Erit autem in hoc exercitationis genere sedula a præceptoribus ea cautio adhibenda, ut non nisi gradibus quibusdam progrediantur tirones, a facillimis thematis exorsi & lente solum ac ordine ad difficiliora delati; ne dum planam ad argumenta invenienda viam præparamus, fortassis rem summi momenti magis etiam complicemus & intricemus.

b. Artes magistri fontes alios præterea oratoribus assignarunt, ex quibus arte deduci argumenta opportuna possent, vel ad quos argumenta inventa arte item tanquam ad classes quasdam reducerentur. Græci hos artificiales

les fontes *Logicos* & *Tropica*, nostri *Locos oratorios* appellarunt.

c. Sunt autem *Loci oratorii* a Tullio definiti; *Argumentorum sedes, in quibus latent, & ex quibus depromenda sunt argumenta.* Quod utique sic accipiendum est: indicari nempe his locis certa rerum genera, in quorum uno, altero, vel tertio post diligentem & accuratam meditationem reperias, quæ ad rem tuam probandam & confirmandam valeant.

d. Dispescuntur hi loci oratorii communiter bifariam; eorumque alii *intrinseci* seu insiti vocantur, alii vero *extrinseci* seu remoti, quibus tertium quoddam præterea locorum genus adde: quos *subsidiarios* vocare liceat.

1. *Locos intrinsecos* appellant eos, qui in ipsa re, de qua orator agit, insunt, aut intime cum ea re conjunguntur.

2. *Locos extrinsecos* autem illos vocant, qui extrinsecus ad probandum assumuntur, & qui proinde rei, de qua sermo est, intime non cohaerent.

Annot. Exemplum & discrimen utriusque videas in hac e. g. propositione: *Cupiditates nimias opum, voluptatum, honorum, potentiæque coercere oportet;* quam ita probat Cic. de finibus: Quia cupiditates *non modo singulos homines, sed & universas familias evertunt, totam etiam labefactant rempublicam. Ex cupiditatibus odia, dissidia, discordiæ, seditiones,* *bella*

Bella nascuntur. *Nec hæc sese foris solum jactant, nec tantum in alios cœco impetu incurrunt, sed intus etiam animis inclusas inter se diffident & discordant.* Non est difficile animadvertere, hæc omnia cupiditatum malarum effectus, ac proinde ab intima cupiditatis natura desumta, atque ab eo rationes has omnes ex loco intrinseco petitas esse. Contra si cupiditates coercendas asseras, *quoniam magnifice sapienterque Tullius aliquo loco ait: Regium est ita vivere, ut non modo homini, sed ne cupiditati quidem servias;* facile assequeris, augumentum istud extrinsecus accersitum esse; Certa enim Ciceronis auctoritas aut Tullius in cupiditate non est, nec intime cum illa conjunctus.

3. *Locos subsidiarios* hic nominamus, quos posterioribus temporibus in tironum gratiam commenti sunt præceptores aliqui, quosque adolescentibus magis commensuratos existimabant, cum illos priorum generum ad viros tantum multa jam Philosophiæ cognitione & penitiori vitæ humanæ experientia imbutos spectare posse judicarent.

I. *De locis intrinsecis.*

a. Loci intrinseci sexdecim a præceptoribus post Aristotelem & Ciceronem in Tropicis numerantur, videlicet: *Definitio*, *Enumeratio partium*, *Notatio*, *Conjugata*, *Genus*, *Forma*, *Similitudo*, *Dissimilitudo*, *Contraria*, *Repugnantia*, *Adjuncta*, *Antecedentia*, *Consequentia*, *Caussæ*, *Effecta*, *Comparatio*,

b. Justa multorum quærela est, tractationem complurium ex istis locis æquo subtiliorem & ad Dialecticorum potius, quam Oratorum præceptiones exactam tironibus nullo fere fructu propositam a veteribus fuisse. Itaque hic omissis, qui vix alicujus frugis esse possunt, illos tantum in tironum nostrorum gratiam exequimur, qui frequentioris usus & manifestariæ sunt utilitatis.

A. *Definitio.*

a. Definitio Ciceroni est *oratio, quæ id, quod definitur, explicat.*

b. Duplicis sunt generis definitiones: aliæ enim dicuntur definitiones *Philosophicæ*, aliæ *Oratoriæ.*

1. *Philosophica* definitio necessario ex genere & differentia componitur, ut cum *hominem esse animal rationale* definit; aut *Religionem* esse virtutem, qua cultus Deo debitus tribuitur; *Impietatem* esse scelus, quod omnem Deo debitam Religionem tollit.

a. *Annot.* Genus est aliquid commune, quod res definita, non sola, sed communiter cum aliis habet; in quo proinde cum omnibus iis convenit; quæ ejusdem communis rei sunt participes. Tale est in mox allata definitione *animal*, quod hominibus juxta & brutis communiter competit. Tale item est *virtus* & *scelus*, quæ pluribus utique sunt communia.

b. *Differentia* autem illud nominatur, quod soli rei definitæ ita proprium est, ut neque alteri

ri alicui convenire possit, & per hoc ipsum a ceteris omnibus dissideat, atque illis plane opponatur. Hæc differentia in proposita definitione est *rationale* &c. &c.

e. Vides proinde ex genere *animal* & differentia *rationale* philosophicam hanc definitionem hominis coaluisse: *Homo est animal rationale.* Talis est etiam illa apud Cicer. 3. Tuscul. QQ. c. 30. Malitia *est versuta & fallax nocendi ratio* In quibus tamen porro observa: Ut strictas & breves, ita siccas & jejunas esse solere definitiones philosophicas.

2. *Oratoria* definitio, oratio item, est rei naturam explicans, sed explicans liberius, uberius ac ornatius, minimeque ad severitatem & accurationem philosophicam adstricta. Vocatur vero hæc oratoria definitio a nonnullis *Descriptio.* Sic Cic. pro Marcel. gloriam definit: Gloria *est illustris ac pervagata multorum & magnorum vel in suos, vel in patriam, & in omne genus hominum, fama meritorum.* Talis est etiam illa hominis definitio: *Homo est eximium opus a Deo efformatam, rationis particeps, ad Dei imaginem conditum, atque ad immortalitatem natum.*

c. Reperitur autem definitio oratoria, de qua nobis proprie sermo & cura, ab optimis auctoribus sequentibus quinque modis tractata:

1. *Ex rei definiendæ partibus.* Ita Cic. pro Sextio. c. 45. Optimates definit recensendo

diverſos populi ordines: *Quis ergo iſte optimus quisque? de numero ſi quæris? innumerabiles; —— Sunt principes conſilii publici, ſunt qui eorum ſectam ſequuntur; ſunt maximorum ordinum homines, quibus patet curia; ſunt municipiales, ruſticique romani; ſunt negotia gerentes: ſunt etiam libertini & Optimates.* Sic non nemo artem oratoriam definivit. *Ars oratoria eſt, quæ conſtat Inventione, Diſpoſitione, Elocutione, & Pronunciatione.*

2. *Ex Cauſſis vel effectis rei, quæ definienda eſt.* Sic. Cic. l. 1. de Leg. c. 7. hominem definit uberrime a cauſſa formali & efficiente: *Animal hoc providum: ſagax, multiplex, acutum, memor, plenum rationis & conſilii, quem vocamus hominem, præclara quadam conditione generatum a ſummo Deo* &c. Ab effectis vero idem Cic. pro Cæcinn. c. 78. definit virum bonum: *Qui juris civilis rationem nunquam ab æquitate, ſejunxerit; qui tot annos ingenium, laborem, fidem ſuam populo romano promptam expoſitamque præbuerit &c.*

3. *Ab adjunctis & proprietatibus rei illius, quæ definitur.* Ita Cic. l. 2. de Natur. Deor. c. 63. definit canem: *Cujus fida cuſtodia, amans dominorum adulatio, odium in externos, incredibilis ad inveſtigandum ſagacitas narium, alacritas in venando, quid ſignificat*

ficat aliud, nisi se ad hominum commoditates esse generatum. Sic item Virg. l. 4. Aeneid. famam describit ab adjunctis:

Fama malum, quo non aliud velocius ullum;
Mobilitate viget, viresque acquirit eundo.
Parva metu primo, mox sese tollit in auras.
Ingrediturque solo, & caput inter nubila condit.
— — — — — — — —
Monstrum horrendum, ingens, cui quot sunt corpore plumæ
Tot vigiles oculi subter (mirabile dictu!)
Tot linguae, totidem ora sonant, tot surrigit aures.
— — — — — — — —
Tam ficti pravique tenax, quam nuncia veri.

4. *Per similitudines, aut metaphoras coacervatas, item per congeriem plurium ejusdem rei definitionum* elegans imprimis nascitur definitio circumscripta, quam explicationem per definitiones conglobatas, nominant. Ita Cic. l. 4. de finib. c. 7. sapientiam definit: *Hominis custos & procuratrix, naturæ comes & adjutrix.* Et l. 5. Tuscul. QQ. ab eodem Cic. definitur Philosophia: *vitæ dux, indagatrix virtutum, vitiorum expultrix, mater omnium artium, Deorum inventum.* Talis est item definitio: *Pecunia est nervus belli, viscera reipublicæ, meta desideriorum humanorum, ambitionis alimentum, voluptatum fomes &c.*

5. Per

5. *Per negationem & affirmationem*, qui modus Ciceroni admodum familiaris eſt; cum nempe primum affertur, quòd res non eſt; ut deinde tanto efficacius ſubjiciatur, & tanto planius intelligatur, quid res ſit. Subjungitur nonnunquam item negationi Ironia. Sic. Cic. pro domo ſua c. 33. negat primum populum romanum eſſe cœtum ſeditioſorum, quod per ironiam rejicit, ac tandem affirmando, quid populus romanus ſit, ſubdit: (Negatio.) *An tu populum romanum eſſe illum putas, qui conſtat ex iis, qui mercede conducuntur, qui impelluntur, ut vim afferant Magiſtratibus? ut obſideant ſenatum? optent quotidie cædem, incendia, rapinas?* (Ironia) *O ſpeciem dignitatemque populi romani, quam reges, quam nationes exteræ, quam gentes ultimæ pertimeſcant, multitudinem hominum ex ſervis conductis, ex facinoroſis, ex egentibus conflatam!* (Affirmatio.) *Ille, ille populus eſt Dominus regum, victor atque imperator omnium gentium, quem illo clariſſimo die vidiſti, quum omnes principes civitatis, omnes ordinum atque ætatum omnium, ſuffragium ſe non de civis, ſed de civitatis ſalute ferre cenſebat &c.*

d. Quin argumentandi ratio ex definitionis loco ducta firma ſit & valida, dubitari non debet, cum ex ipſa rei cujuſcunque natura depromatur. Cicero hoc modo argumentum ex defi-

definitione ductum Tob. 9. concludit: *Jus civile eſt æquitas conſtituta iis, qui ejusdem civitatis ſunt; ad res ſuas obtinendas: ejus autem æquitatis utilis eſt cognitio; utilis eſt ergo juris civilis cognitio.*

B. *Genus & Forma.*

a. *Genus* eſt quoddam totum, quod plures continet partes, communione quadam inter ſe ſimiles, ſpecie differentes.

b. *Forma*, aliter etiam ſpecies vocata: eſt pars quæ genere continetur. Exempla utriusque deprehendes e. g. in virtute, quæ genus eſt, & in ejus formis, quæ ſunt: Juſtitia, temperantia, fortitudo, prudentia. Virtus enim genus eſt, ſub ſe formas mox recenſitas comprehendens; & formarum ſingulæ virtutes ſunt communione honeſti inter ſe colligatæ, quam vis ſpeciebus ſuis peculiaris honeſti invicem ſejunctæ.

1. *Annot.* Nihil attinet, plura de loco hoc adferre, & fortaſſis jam juſto plura inſinuata ſunt, fere enim penitior illius explicatio dialectica magis ſubtiliate nititur, quam arte oratoria.

2. Uſus loci a Genere & Formis vix a loci communis uſu differt, ſi ex rerum momentis res tota ponderetur; aut ſaltem, ut locum communem rite tractes, riteque a particularibus ad generales propoſitiones tranſeas, juvabit.

c. Argumentandi rationem a Genere ad Formas illi ſubjectas, vel contra, in eo ſitam eſſe do-

docent, ut ſive affirmes, ſive neges, ſemper juſta ſit, & bene concludat argumentatio; a forma autem cum ad genus regrederis, tum demum valere ajunt, cum de eorum aliquo agitur, quo inter ſe ſimiles ſunt e. g. Juſtæ ſunt argumentationes hæ. A genere: *Omnis virtutis laus in actione conſiſtit, igitur & prudentiæ.* Item: *Nulla virtus modum excedis, igitur nec fortitudo.* A ſpecie autem ſic: *In oppetenda pro patria morte fortitudo eſt, igitur & virtus obitus ille eſt*; ubi affirmantes conſecutiones valent quidem, non item negantes.

C. *Enumeratio partium.*

a. Enumeratio partium eſt alicujus totius in ſuas partes diſtributio; unde huic loco etiam nomen hæſit partium diſtributio.

b. Ut vero totum diverſum eſt, quod diſtribuitur; ita diverſæ etiam ſunt partes, quæ enumerantur.

Annot. Quamquam haec doctrina de diverſitate totius Philoſophorum magis, quam Rhetorum ſit, neque ab his ſubtilius exquiri neceſſe ſit: id tamen tiro ad vitandam fluctuationem neſcire non poteſt, totum multifariam accipi, & aliud eſſe.

1. *Totum integrale*, quod habet plures partes ad integritatem alicujus rei pertinentes. Tale *totum* eſt domus; *partes* illius ſunt: fundamenta. parietes, tectum, Pavimentum &c. Tale *totum* eſt item corpus; cujus *partes* ſunt: caput, pectus, manus, pedes &c.

2. To-

2. *Totum morale* eſt, quod veri nominis partes quidem nullas habet, ſed quod tamen plura comprehendit & ſub ſe continet, quæ noſtra intelligendi modo & morali hominum æſtimatione tanquam partes conſiderantur alicujus totius, quod proinde morale totum appellant. Sic Populus componitur ex ſenibus, viris, fœminis, pueris. Sic item memoria, intellectus, voluntas diverſæ revera partes non ſunt, conſiderantur tamen tamquam *partes* quarum *totum* eſt anima.

Annot. Latiſſime patet hoc totum; revocantur enim huc fere omnes actiones vitæ humanæ, e. g. occiſio hominis, expugnatio urbis &c. Ut nihil dicam, vagari hunc locum per alios plurimos: enumerantur enim non raro cauſæ, effecta, adjuncta, conſequentia &c. alicujus rei, tanquam partes morales ipſiusmet rei.

3. *Totum genericum* & quod huic opponitur, *totum ſpecificum* ex ipſa vi nominum paullo ante explicatorum innoteſcit. Eſt enim prius genus, quod ſub ſe habet partium loco ſpecies diverſas; v. g. Virtus *totum genericum* eſt; temperantia, fortitudo, juſtitia, prudentia *partes ſpecificæ* ſunt hujus totius. Sic porro ſpecies quæcunque, ſi ad individua ſua referatur, *genus ſpecificum*, individua hæc autem *partes* habebuntur.

6. In exemplis aliquot ſubjectis videat tiro enumerationes partium, & cujusmodi partes ſint, cujus item totius, ipſe judicet.

1. Domum laute inſtructam ita Cicero effert pro Roſc. Amerin. c. 46. *Domus referta vaſis Corinthiis & Deliacis.* — — — —

Quid

Quid præterea cælati argenti? quid ſtragulæ veſtis? quid pictarum tabularum? quid ſignorum? quid marmoris apud illum putatis eſſe? — Familiam vero quantam &c. Mitto haſce artes vulgares, coquos, piſtores, lecticarios. Animi & aurium cauſſa tot homines habet, ut quotidiano cantu vocem & nervorum & tibiarum, nocturnisque conviviis tota vicinitas perſonet.

2. Mala, de quibus cum veteribus Academicis diſputabatur, ita proponuntur ab eodem Cicerone l. 5. Tuſcul. QQ. c. 10. *Aderit enim malorum, ſi mala illa ducimus, turba quædam, paupertas, ignobilitas, humilitas, ſolitudo, amiſſio ſuorum, graves dolores corporis, perdita valetudo, debilitas, coecitas, interitus patriæ, exilium, ſervitus denique.*

3. Affectum, quo homines tam ſæpe in judicando reguntur, ſic exprimit rurſum Cicero l. 2. de Orat. c. 42. *Plura enim multo homines judicant odio, aut amore, aut cupiditate, aut iracundia, aut dolore, aut lætitia, aut ſpe, aut timore, aut errore, aut aliqua perturbatione mentis, quam veritate.*

d. Mirifice & explanat, & amplificat loci iſtius uſus; quoniam res evolutæ explicatæque in oculos & animum citius fortiusque incurrunt, quam implexæ, indigeſtæ, obſcuræ. Itaque non argumenta ſolum, ſed amplificationes etiam illuſtriſſimas ſufficiet.

e. Ratio argumentum ex hoc loco deducendi eo redit, ut affirmatis omnibus aut præcipuis partibus affirmetur, negatis vero omnibus aut præcipuis partibus negetur item totum e. g. Cic. pro Leg. Manil. *In Cn. Pompejo eſt ſcientia rei militaris, virtus, auctoritas, felicitas, igitur omnis laus imperatoria.* Sic alio loco idem Cicero negat ſe a civitate in exilium miſſum eſſe, quod nulla tunc eſſet civitas. *Roma cum pulſus eſt Tullius, non erat in republica Conſul, non Senatus, non conſenſus populi liberi, non mos patrius, non juris & æquitatis ratio: igitur non erat tum illa civitas.*

D. *Cauſſa & Effecta.*

a. Cauſſa multifariam quidem, ſed ad rem noſtram præſentem accommodatiſſime definitur, *Eſt id, unde res aliqua eſt.* Hac enim una definitione genera cauſſarum omnia continebuntur.

b. Sunt autem pervagata cauſſarum genera quatuor, nimirum *materialis*, *formalis*, *efficiens & finalis;* tot namque viis res omnes ab aliis exiſtere poſſunt.

1. *Cauſſa materialis*, ſeu materia *eſt id, ex quo aliquid fit aut componitur*; ſic marmor

eſt materia ſtatuæ, *argentum* pateræ, *corpus* hominis. Ex hoc loco Cic. l. 4. in Verr. c. 27. exaggerat furta verris: *Non pauca pocula ex auro, quæ ut mos eſt regius, & maxime in Syria, gemmis erant diſtincta clariſſimis —— etiam vas vinarium ex una gemma prægrandi, trulla excavata, cum manubrio aureo &c. candelabrum e gemmis clariſſimis opere mirabili perfectum. &c.*

2. *Cauſſa formalis* ſeu forma rei *eſt id, per, quod res conſtituitur, & ab aliis diſtinguitur.* Sic forma hominis mens ſeu animus eſt; per hunc enim & homo demum efficitur, & a quibuscunque rebus creatis diſtinguitur. Referendæ autem huc ſunt omnes formæ artificiales & externæ, ut forma navis, domus &c. Ex forma hominis Cic. l. 1. Off. voluptatibus ſerviendum non eſſe probat: *Hominis mens diſcendo alitur, & cogitando; ſemper aliquid aut inquirit aut agit, videndique & audiendi delectatione ducitur —— Ex quo intelligitur, corporis voluptatem non ſatis eſſe dignam hominis præſtantia —— Atque etiam ſi conſiderare volumus, quæ ſit in natura excellentia & dignitas, intelligemus, quam ſit turpe, diffluere luxuria, & delicate & molliter vivere: quamque honeſtum, parce, continenter ſevere, ſobrie.* Idem denique in Catone c. 78. iterum ex forma hominis immortalitatem

tatem deducit, ibi, *Sic mihi persuasi, sic sentio: cum tanta celeritas animorum sit, tanta memoria præteritorum, futurorumque prudentia, tot artes, tantæque scientiæ, tot inventa; non posse eam naturam, quæ res eas contineat, esse mortalem.*

3. *Caussa efficiens est id, quod sua vi efficit, ut aliquid existat.* Sumitur autem in hac definitione vox *effectionis* largiori intellectu, notatque & procreationem, & conservationem, & destructionem item, & denique impulsum quemcunque moralem. Itaque & Deus mundi, & artifex quiscunque sui operis, aut morbus & intemperantia mortis, suasor autem aut incitator cædis caussæ efficientes jure dicentur. Ita Cic. l. 1. Tuscul. QQ. c. 1. & 2. tantam hominum suo tempore in præjudicia & vitia diversa proclivitatem ex caussis repetendam ostendit; nempe a nutricibus, parentibus, magistris, Poëtarum figmentis, & populo; ibi: *Simul atque editi in lucem & suscepti sumus, in omni continuo pravitate & in summa opinionum perversitate versamur: ut bene cum lacte nutricis errorem suxisse videamur. Cum vero parentibus redditi, demum magistris traditi sumus, tum ita variis imbuimur erroribus, ut vanitati veritas, & opinioni confirmatæ natura ipsa cedat. Accedunt etiam poetæ, qui cum ma-*

gnam ſpeciem doctrinæ, ſapientiæque præ ſe tulerunt, audiuntur, leguntur, ediſcuntur & inhæreſcunt penitus in mentibus. Cum vero accedit eodem, quaſi maximus quidam magiſter populus, atque omnis undique ad vitia conſentiens multitudo, tum plane inficimur opinionum pravitate, a naturaque deſciſcimus.

4. *Cauſſa finalis* ſeu finis *eſt id, cujus gratia aliquid fit.* Sic ædificatæ domus finis habitatio eſt, belli pax, hominis a Deo conditi finis beata vita. Sic juventus ſolerter ac recte educanda eſt, ut ſint boni cives in republica; ſenio & laboribus confecto militi commoda vita providenda: ut virtus militaris ſpe ſenectutis commodæ ad fortiter faciendum excitetur, ita Cic. pro Milon. c. 12. a Clodio paratas fuiſſe inſidias probat a finali cauſſa, quoniam Clodius emolumentum ſperabat: *Quonam igitur pacto probari poteſt inſidias Miloni feciſſe Clodium? Satis eſt quidem in illa tam audaci, tam nefaria bellua docere, magnam ei cauſſam, magnam ſpem in Milonis morte poſitam, magnas utilitates fuiſſe. — — Atqui Milone interfecto Clodius hoc aſſequebatur, non modo ut Prætor eſſet, non eo conſule, quo ſceleris nihil facere poſſet: ſed etiam, ut his Conſulibus Prætor eſſet, quibus ſi non adjuvantibus, at conniven-*

niventibus certe ſperaſſet, ſe poſſe rempublicam eludere in illis ſuis cogitatis furoribus.

c. Conjugatus cauſſis eſt locus Effectorum, quæ definiuntur: *eſſe illa, quæ ſunt orta de cauſſis.*

d. Et quoniam totidem effectorum genera numerantur, quot hic cauſſarum genera aſſignavimus, hinc facile patebit, in cauſſa materiali reſpondentem effectum *marmoris* eſſe *ſtatuam;* in formali *corporis & animi* (conjunctorum ſcilicet) effectum eſſe *hominem;* in efficiente *intemperantia* effectum conſequi *morbum* vel *mortem;* denique in finali cauſſa *pacem* concluſam *belli* effectum eſſe, *vitæ ad ſapientiſſimas leges Conditoris exactæ* effectum indubie ſecuturum *ſempiternam beatitatem.*

e. Hujus porro loci uſum apud oratores frequentiorem præ altero cauſſarum obvenire plane non mirabimur, tum quod cognitio effectorum fere nobis promtior ſit quam cauſſarum; tum quod magnam ad movendos animos vim habeat enumeratio effectorum vel impendentium, vel præſentium bonorum malorumve; ob quam cauſſam paſſim quoque per congeriem tractatum hunc locum reperias. Res hæc prorſum liquida eſt in exemplis.

1. Multorum vice unius examinetur Ciceronis locus Philipp. 5, c. 24. ubi ab enu-

meratione incommodorum, quæ conſequentur, quanto pondere legationem diſſuadet: *Nomen ipſum legatorum, hunc, quem videmus, populi romani reſtinguet ardorem: municipiorum atque Italiæ franget animos; ut omittam hæc, quæ magna ſunt, certe iſta legatio moram & tarditatem afferret bello, quamvis dicant, quod quosdam audio dicturos, legati proficiſcantur, bellum nihilominus paretur: tamen legatorum nomen ipſum & animos molliet, & belli celeritatem morabitur. Minimis momentis P. C. maximæ inclinationes temporum fiunt, quum in omni caſu reipublicæ, tum in bello, & maxime civili, quod optime plerumque, & fama gubernatur. Nemo quæret, quibus cum mandatis legatos miſerimus, nomen ipſum legationis ultro miſſæ timoris eſſe ſignum videbitur.*

2. Neque poëtis rarior hic eſt locus, minusque frequentatus, ſed amplificandi præſertim & deſcriptionum gratia, ad quæ maximopere valet, ſuaviſſime pariter & efficaciſſime adhibitus. Sic Horat. Lib. 1. epiſt. 5. vini effectus enarrat:

Quid non ebrietas deſignat? aperta recludit,
Spes jubet eſſe ratas, in prælia trudit inermem:
Sollicitis animis onus eximit, addocet artes:
Foecundi calices quem non fecere diſertum?
Contracta quem non in paupertate ſolutum?

f. Ar-

f. Argumenta ex caussis conficiendi pronissima ratio est; ex *caussa* quidem *materiali*, e. g. *Multa signa gemmis & auro cælata sustulit Verres: fecit igitur gravia furta.* Ex *caussa formali* autem sic: *Animus hominis est immortalis: igitur ad immortalitatem aspiret.* Ex *caussa efficiente* porro ita: *Senectus caret frequentibus poculis exstructisque mensis, caret igitur vinolentia, cruditate, insomniis &c.* Ex *finali caussa* tandem hoc modo: *Homo factus est ad contemplandum, non ergo ad pastum.*

g. Ex effectis autem fere ita dicuntur argumenta; ut vel ipsæ caussæ, vel aliquid caussis cognatum ex effectis recensitis inferatur. e. g. *Si ærario & ad belli adjumenta & ad ornamenta pacis utimur, vectigalibus serviamus.* Aut hoc modo: *Naturæ ductu ad immortalitatem aspiramus: igitur animo immortali donati sumus.* Item sic: *Voluptatis innumera sunt mala: fugienda igitur voluptas. &c.*

E. *Antecedentia & Consequentia.*

a. Antecedentia *sunt ea, quæ rem necessario antecedunt, nec tamen faciunt, ut res existat.* Ita ver æstatem antecedit quidem, æque tamen illud hanc efficit.

b. Consequentia contra *sunt illa, quæ necessario post rem accidunt, ex caussis tamen vel alienis,*

vel ignotis. Sic diem nox consequitur, vitam mors; sed certe neque dies noctis, neque vita mortis est caussa, sed alienæ, id est diversæ ab antecedentibus sunt requirendæ.

Annot. Juste examinata re locos hos vel ab ille mox præmisso Caussarum & effectorum nonnisi subtilitate aliqua dialectica differre, vel certe non ab illo altero adjunctorum diversos deprehendemus, ubi etiam nomine Adjunctorum antecedentium & consequentium promiscue a nonnullis præceptoribus tractantur, quamvis (ut verum dicamus) refragante Cicerone.

c. Amplificandi præcipue gratia hic locus ab oratoribus frequentius tractatur. Ita Cic. Philipp. 13. c. 5. ex antecedentibus pacem cum Antonio esse posse negat: *Non recordamini per Deos immortales, quas in eos sententias dixeritis? Acta M. Antonii rescidistis: leges refixistis: per vim & contra auspicia latas decrevistis: totius Italiæ delectum excitavistis: Collegam & socium scelerum omnium hostem judicavistis. Cum hoc quæ pax esse potest?* Simili ratione idem Cic. per enumerationem consequentium elevat & extenuat acerbitatem ex morte L. Crassi conceptam L. 3. de Orat. c. 11. *Fuit hoc luctuosum suis, acerbum patriæ, grave bonis omnibus; sed ii tamen rempublicam casus secuti sunt, ut mihi non erepta L. Crasso a Diis immortalibus vita, sed donata mors esse videatur. Non vidit flagrantem bello Italiam, non ardentem vidit senatum, non sceleris nefarii Principes Civita-*

vitatis reos, non luctum filiæ, non exilium generi, non acerbissimum C. Marii fugam, non illam post reditum ejus cædem omnium crudelissimam, non denique in omni genere deformatam eam civitatem: in qua ipse florentissima multum omnibus gloria præstitisse.

—

d. Rite ex antecedentibus argumentantur ad consequentia, quæ aut consecuta, aut consecutura sunt; sed sic tamen, ut hæc pro materiæ subjectæ varietate non semper necessario & certissime, sed plerumque probabiliter tantum, quemadmodum connectuntur, ita inferantur. Quæ inferendi ratio mutuo etiam a consequentibus ad antecedentia valet. Itaque *orto sole diem illuxisse; Natum hominem moriturum* certissime concludes ab antecedentibus; a consequentibus autem *ex cicatrice plagam*, & *ex copia fructuum copiam quoque florum* deduces, utrumque indubitate; admodum autem probabiliter tantum *ex larga semente uberem messem*, aut *ex florum copia fructuum quoque copiam* derivabis; quoniam inter hæc antecedentia & consequentia plurima intervenire possunt, neque adeo nisi probabiliter solum connexa sunt.

F. *Adjuncta.*

a. Adjuncta sunt *ea, quæ rei accidunt, eamque circumstant.* Quare cum re, de qua agitur,

non necessario, sed probabiliter tantum conjuncta sunt. Hinc etiam patet, cur circumstantiæ alio nomine vocentur.

b. Varie partiuntur præceptores hæc adjuncta: Alii classes *Antecedentium* Adjunctorum, *Concomitantium & Consequentium* statuunt; alii Adjunctis *rei*, Adjunctis *animi*, & Adjunctis *corporis* comprehendunt universa.

c. Expeditissime faciunt, qui ad septem capita revocant omnia, quæ versiculo hoc comprehensa sunt: *Quis*, *quid*, *ubi*, *quibus auxiliis*, *cur*, *quomodo*, *quando*. Reipsa enim vix circumstantia aliqua accidere aut excogitari poterit, quæ non ad caput horum aliquod pertineat.

Annot. Observa: hæc omnia Adjuncta Concomitantium classe contineri; & cum Antecedentia atque Consequentia mox ante peculiari tractatione disquisiverimus; de solis Concomitantibus nunc agendum nobis restat.

d. In tironum gratiam operæ pretium facturos nos existimamus, si capita hæc aliquantisper enucleatius proponamus. Itaque

1. *Quis*. Personam designat, cum qua ista fere conjunguntur: (a) Genus, (b) Natio & Patria. (c) Sexus. (d) Aetas. (e) Educatio. (f) Habitus corporis. (g) Fortuna. (h) Conditio. (i) Natura animi. (k) Victus (l) Studia. (m) Affectus.

2. *Quid*

2. *Quid.* Actionem denotat. Plurima ad actionem, ut patet, concurrere poſſunt Adjuncta; Cicero tamen in actionibus tria præcipue quærenda eſſe ait: quid *ante rem*, quid *cum re*, quid *poſt rem* evenerit.

a. *Ante rem* quæruntur ait, quæ talia ſunt: Apparatus, Colloquia, Conſtitutum, Convivium.

b. *Cum re* autem pedum crepitus, ſtrepitus hominum, corporum umbræ, & ſi quid ejusmodi.

c. *Poſt rem* vero rubor, pallor, titubatio, & ſi qua ſunt alia ſigna conturbationis, & conſcientiæ: præterea reſtinctus ignis, gladius cruentus, ceteraqúe, quæ ſuſpicionem facti poſſunt movere.

3. *Ubi.* Locum examinat: Sacer, an profanus? privatus, an publicus? alienus, an proprius? remotus, an propinquus? opportunus aut contra fuerit? &c.

4. *Quibus auxliis.* Intellige: quibus miniſtris, adjutoribus, conſiliariis? *Item* quo Inſtrumento, fuſte, gladio, veneno? &c.

5. *Cur.* Finem indagat, propter quem quid geſtum eſt. Quo conſilio? qua ſpe? privati vel publici boni, lucri, vel laudis cauſſa? &c.

6. *Quo-*

6. *Quomodo.* Modum actionis determinat. Ut: acriter vel leniter, modeste vel superbe, per vim vel per artem, clam aut palam, persuasione an sponte, consulto an casu &c.

7. *Quando.* Tempus significat. Ut: qua die qua hora? tempore felici aut misero? pleno die an nocte? æstate an hieme? tempore ludorum, die festi, belli, pacis, messis, vindemiæ, inter nuptias, comitia, convivium, sacrificium, funus &c.

e. Juvat aliquot horum Adjunctorum exempla offerre, quibus & confirmentur præcepta, & tirones nostri dirigi possint.

1. Ex adjuncto. *Quis* ab *ætate* splendidissimo argumentatus est Cicero pro Leg. Manil. c. 21. in laudem Cn. Pompeji: *Quid tam novum, quam adolescentulum, privatum, exercitum difficili reipublicæ tempore conficere? confecit: huic præesse? præfuit; rem optime ductu suo gerere? gessit. Quid tam præter consuetudinem, quam homini peradolescenti imperium atque exercitum dari? Siciliam permitti atque Africam, bellumque in ea administrandum? Fuit in his provinciis singulari innocentia, gravitate, virtute; bellum in Africa maximum confecit, victorem exercitum deportavit.*

2. Ex

2. Ex eodem Adjuncto *Quis* ab *habitu corporis*, idem Cicer. pro Roſcio Comœd. c. 7. turpiſſime. Fanium quemdam pingit: *Nonne ipſum caput & ſupercilia abraſa olere malitiam, & clamitare calliditatem videntur? Nonne ab imis unguibus usque ad verticem ſummum (ſi quam conjecturam affert hominibus tacita corporis figura) ex fraude, fallaciis, mendaciis conſtare totus videtur? qui idcirco capite & ſuperciliis ſemper eſt raſis, ne ullum pilum viri boni habere dicatur.*

3. Ex adjuncto. *Ubi* Cic. L. 5. in Verr. c. 10. bellicam Verris laudem ex loco, ubi hiemabat, deridet: *Urbem Syracuſas elegerat, cujus hic ſitus, atque hæc natura eſſe loci, coelique dicitur; ut nullus unquam dies tam magna turbulentaque tempeſtate fuerit, quin aliquo tempore ejus diei ſolem homines viderent. Hic ita vivebat iſte bonus Imperator hibernis menſibus, ut cum non facile, non modo extra tectum, ſed ne extra lectum quidem quisque videret.*

4. Ex Adjuncto. *Quibus auxiliis* Cic. l. 4. in Verr. c. 13. Cibyratas fratres malefactorum Verris egregios adminiſtros deſcribit: Verris *canes venaticos diceres: ita odorabantur omnia, & perveſtigabant, ut ubi quidque eſſet, aliqua ratione inveniretur. Aliud minitando, aliud pollicendo, aliud*

per

per servos; aliud per liberos: per amicum aliud, aliud per inimicum inveniebat. — — Tum primum intellexi, ad eam rem istos fratres Cibyratas fuisse, ut iste in furando manibus suis, oculis illorum uteretur.

5. Ex adjuncto. *Quando* sæpissime laudatus Cicero l. 4. in Verrem c. 40. crudelitatem Verris exaggerat: *Erat hiems summa, tempestas perfrigida, imber maximus: quum ille imperat lictoribus, ut Sopatrum de porticu præcipitem in forum dejiciant, nudumque constituant — — Ad C. Marcelli statuam hominem tum domi nobilem, tum summo magistratu præditum divaricari ac deligari jubet. Quo cruciatu sit affectus, venire in mentem necesse est omnibus, cum esset vinctus, in aëre, in imbri, in frigore.*

f. Solent quidem nonnunquam Adjunctorum istorum aliqua peculiarius & singillatim in oratione tractari; plerumque tamen plura coacervata, & invicem commixta reperiuntur. Sic l. 1. in Verr. c. 17. in paucis aliquot lineis apud Ciceronem in singulis prope vocibus singula adjuncta deprehendas; ibi; *Ignem ex lignis viridibus atque humidis, in loco angusto fieri jussit: ibi hominem ingenuum, domi nobilem, populi romani socium, atque amicum, fumo excruciatum semivivum reliquit.*

g. Sed

g. Sed prudenter ante cetera considerandum est, quæ Adjuncta hæc aut illa res postulet, quæ item respuat ; neque enim sapiens quis aut omnibus, aut singulis etiam temere utetur.

h. Ratio tamen argumentandi perpetua ex hoc loco erit talis, ut nunquam ex uno alterove solo, sed ex frequentatis pluribus adjunctis argumentum inferatur, si ponderis alicujus ad probandum, & roboris ad amplificandum esse velimus. Ita Cicero in Catilin. 3 c. 13. se conjuratos sceleris ex pluribus adjunctis personarum, reos cognovisse providetur: *At mihi quidem Quirites, cum illa certissima sunt visa argumenta atque indicia sceleris, tabellæ, signa, manus, denique uniuscujusque confessio ; tum multo illa certiora, color, oculi, vultus, taciturnitas. Sic enim obstupuerant, sic terram intuebantur, sic furtim nonnunquam inter se aspiciebant, ut non jam ab aliis judicari, sed ipsi a se viderentur.*

G. *Contraria & Repugnantia.*

a. Contraria, aliter etiam a nonnullis Opposita dicta, sunt *ea, quæ sibi opponuntur, ac proinde in eodem subjecto simul esse non possunt.*

Annot. In Oppositorum itaque censum venire Repugnantia nihil vetabit; quæ classem melius Oppositorum aliquam nominaveris, quam Locum peculiarem.

d. Dia-

b. Dialecticos imitati Rhetores, ut gradus aut modos exprimerent iſtius oppoſitionis, in quatuor claſſes diſtribuerunt Oppoſita, minimo aut nullo, quod hucusque obſervatum ſit, tironum fructu. Nos eadem fidelia duos dealbaturi parietes quintam claſſem adjecimus, nempe Repugnantium, ut mox inſinuatum.

c. Ut ne noſtri ea nomine ſaltem & vim illorum (quæ fere ex ipſo nomine innoteſcit) ignorent; & ſubjunctas ex ordine eas claſſes:

1. *Adverſa*, ut: Virtus & vitium, bellum & pax, ſapientia & ſtultitia.

2. *Privantia*, ut: Vita & mors, lux & tenebræ, divitiæ & paupertas.

3. *Relata*, ut: pater & filius, dux & miles: Conſul & cives, dare & accipere, docere & diſcere.

4. *Negantia*, quæ *Contradicentia* etiam appellantur, ut: Sapere & non ſapere, probus & non probus, inſidiatus eſt & non eſt inſidiatus.

5. *Repugnantia* tandem, ut: Amare & lædere, odiſſe & opitulari &c.

d. Oppoſitionis cujuscunque modus fere triplex uſurpatus eſſe obſervatur; aut enim

1. Verba verbis opponuntur, uti eſt apud Ciceron. in Catil. 2. c. 25. *Ex hac parte*

pudor

pudor pugnat, illinc petulantia; hinc pudicitia, illinc ſtuprum; hinc fides, illinc fraudatio; hinc honeſtas, illinc turpitudo - - - confligit.

2. Membra opponuntur membris, quod Cicero fecit pro Coelio c. 12. ubi de Catilina loquitur: *Utebatur hominibus improbis multis; & quidem optimis ſe viris deditum eſſe ſimulabat. Erant apud illum illecebrae libidinum multae; erant induſtriae ſtimuli quidam ac laboris. Flagrabant vitia libidinis apud illum; vigebant etiam ſtudia rei militaris &c.*

3. Periodi cum periodis ex adverſo conferuntur. Illuſtria exempla ſuppeditat Cic. l. 5. in Verr. præſertim c. 6. *Quid ais bone cuſtos defenſorque Provinciae? tu quos ſervos arma capere, ac bellum facere in Sicilia voluiſſe cognoras, & de conſilii ſententia judicaras: hos ad ſupplicium jam more majorum traditos & ad palum alligatos ex medio morte eripere ac liberare auſus es? ut quam damnatis ſervis crucem fixeras, hanc indemnatis civibus romanis reſervares? Perditae civitates, deſperatis omnibus rebus, hos ſolent exitus exitiales habere, ut damnati in integrum reſtituantur, vincti ſolvantur, exules reducantur, res judicatae reſcindantur - - atque haec, ſicubi facta ſunt, ut homines populares aut nobiles ſupplicio aut exilio leva-*

rentur: at non ab his ipsis, qui judicassent, at non statim: at non eorum f cinorum damnati, quae ad vitam & omnium fortunas pertinerent. Hoc vero novum & ejusmodi est, ut magis propter reum, quam propter rem ipsam credibile videatur, ut homines servos; ut ipse, qui judicarat; ut statim e medio supplicio dimiserit, ut ejus facinoris damnatos servos, quod ad omnium liberorum caput & sanguinem pertineret &c.

e. Quoniam nulla contraria contrariis convenire possunt, ex quacunque demum horum classe argumentum vel amplificatio sumetur, semper a contrariis sumtum dicetur insuper habitis subtilioribus aliis particularibus classium nomenclationibus.

f. Argumenti concludendi ratio fere negans tantum locum habet, & ea sola firma esse potest. Ecce exemplum argumenti a contrariis deducti apud Ciceronem pro Leg. Manil. c. 11. *Majores vestri saepe mercatoribus & naviculatoribus injuriosius tractatis bella gesserunt: vos tot civium romanorum millibus uno nuncio, atque uno tempore necatis, quo tandem animo esse debetis? Legati, quod erant appellati superbius, Corinthum Patres vestri totius Graeciae lumen extinctum esse voluerunt: vos eum Regem inultum esse patiemini, qui legatum populi romani, Consularem vinculis ac verberibus, atque omni supplicio excruciatum necavit. Illi civium romano-*

manorum libertatem imminutam non tulerunt: vos vitam ereptam negligetis? Jus legationis verbo violatum illi perſecuti ſunt: vos legatum populi romani omni ſupplicio interfectum inultum relinquetis? Videte ergo, ne, ut illis pulcherrimum fuit, tantam vobis gloriam relinquere, ſic vobis turpiſſimum ſit, illud, quod accepiſtis, tueri ac conſervare non poſſe.

H. *Similitudo & Diſſimilitudo.*

a. Similitudo definitur *rerum alioqui diſparium collatio, & aliqua in re convenientia.*

Annot. Avarus & Hydrops, res diſpares, conveniunt tamen in eo, quod ſatiari non poſſunt.
Ager & animus, longiſſime diverſa, uterque tamen neceſſariam habet culturam. Leo & iratus, quam diſparati, conveniunt in furore. Gloria & umbra, utraque tamen ſequitur nos. Ita Cic. Philipp. 2. c. 45. *Ut quidam morbo aliquo, & ſenſus ſtupore, ſuavitatem cibi non ſentiunt; ſic libidinoſi, avari, facinoroſi verae laudis guſtum non habent.*

b. Totus hic locus ad ornandum illuſtrandumque factus eſt; valebit igitur totus ad res declarandas explanandasque cum ſuavitate & gratia, ſed ad fidem faciendam per ſe nihil, aut prope nihil. Ornatiſſime ſane Cic. pro Sextio c. 10. *Sed ita, judices, ut, ſi gladium parvo puero; aut ſi imbecillo ſeni; aut debili dederis, ipſe nemini noceat; ſin ad nudum vel fortiſſimi viri corpus acceſſerit, poſſit acie ipſa,*

& ferri viribus vulnerare: ita quum hominibus enervatis & exanguibus Consulatus tanquam gladius esset datus, qui per se pungere neminem unquam potuissent, hi summi imperii nomine armati rempublicam contrucidaverunt. Ornate sane eleganterque dictum; sed an etiam per hoc probatum est, rempublicam contrucidatam esse.

c. Similitudinem summus splendor & ornatus in eo praecipue conquiescet, si de eadem re plures congerantur. Ita Cic. de Senect. c. 19. *Adolescentes mori sic mihi videntur, ut cum aquae multitudine vis flammae opprimitur: senes autem sicut sua sponte, nulla adhibita vi consumtus ignis extinguitur. Et quasi poma ex arboribus, si cruda sunt, vi avelluntur; si matura & cocta, decidunt: sic vitam adolescentibus vis auffert, senibus maturitas.*

d. Dissimilitudo contra est *rerum dissimilium convenientia cum aliqua diversitate expressa:* seu quemadmodum alii definiunt: *quae ex rebus dissimilibus colligit dissimile.*

Annot. Omnis dissimilitudo comparatione tacita nititur, quare in eo convenientia est, in quo comparatio instituitur, diversitas autem in illatione argumentationis palam fit. Exemplo sit illud Tull. *Barbarorum est in diem vivere; igitur nostra consilia sempiternum tempus spectare debent.* Ubi vides, consilia vivendi et nostra & barbarorum conferri quidem, diversitatem tamen in proposito consiliis scopo nempe *in crastinum* & *in sempiternum* reperiri.

e. Ne-

e. Neque vero efficacitas diſſimilitudinis major eſt, quam ſimilitudinis, ad probandum; cum ad ornandam tantum illuſtrandamque orationem natus ſit item totus quantus locus iſte. Jucundiſſimus profecto eſt locus diſſimilitudinis inter jureconſultum & imperatorem a Cicerone pro Muraen. c. 9. tractatus: *Qui poteſt dubitari, quin ad conſulatum adipiſcendum multo plus afferat dignitatis, rei militaris, quam juris civilis gloria? Vigilas tu de nocte, ut tuis conſultoribus reſpondeas; ille, ut, quo intendit mature cum exercitu perveniat: te gallorum, illum buccinarum cantus exſuſcitat: tu actionem inſtituis, ille aciem inſtruit: tu caves, ne tui conſultores; ille, ne urbes aut caſtra capiantur: ille tenet, & ſcit, ut hoſtium copiae; tu, ut aquae pluviae arceantur; ille exercitatus eſt in propagandis finibus; tu in regendis.*

f. Argumentamur a ſimili, quod adſcivimus, ad id, quod illuſtratum ſimilitudine cupimus, hunc fere in modum: quo Cicero & ſemper & in rem noſtram praeſentem Philipp. 8. c. 6. concluſit: *Ut in corpore, ſi quid ejusmodi eſt, quod reliquo corpori noceat, uri ſecarique patimur, ut membrorum aliquod potius, quam totum corpus intereat: ſic in reipublicae corpore ut totum ſalvum ſit, quidquid eſt peſtiferum, amputetur.*

g. Itidem a diſſimili eadem in argumentando ratio eſt ineunda, ut nempe diſſimile praepo-

natur, tum in illatione id contendatur, propter quod dissimile assumtum est. Sic Cic. Philipp. 10. c. 10. ex eo, quod aliae nationes servitutem ferre possint, Romanos servire non posse concludit hunc in modum: *Omnes nationes servitutem ferre possunt: nostra civitas non potest: nec aliam ob caussam, nisi quod illae laborem, doloremque fugiunt, quibus ut careant, omnia perpeti possunt; nos ita a majoribus instituti atque imbuti sumus, ut omnia consilia, atque facta ad virtutem & dignitatem referamus.*

I. *Comparatio.*

a. Comparatio est, *cum duo vel plura in tertio aliquo conferuntur, quod commune sit eis.* e. g. Catoni licuit sequi bellum civile, igitur & Ciceroni. Ubi vides collationem fieri Catonis & Ciceronis in sequela belli civilis, quae communis fuit utrique.

Annot. Quid discriminis inter similitudines comparationesque intersit, quarum utraque res diversas confert, quaesiverunt aliquando curiosius praeceptores; nos spinis his implicare nolumus tirones nostros.

b. Comparari autem res omnis vel cum majoribus potest, vel cum minoribus, vel cum aequalibus; unde triplex comparationis genus ortum est, nempe:

1. *Com-*

1. *Comparatio a majori ad minus*, cum ex eo; quod magis verosimile est, & nihilominus verum non est, inferimus, id quoque, quod minus verosimile est, in eadem re verum non esse. Ita e. g. Cicero pro domo sua c. 41. a comparatione argumentatus est: *Domum Ciceronis ne homines quidem sceleratissimi concupiverunt* (quos illam concupivisse utique verosimilius erat) *igitur certe Dii immortales eandem minime concupiverunt* (quos eam concupivisse utique minus verosimile fuit). Hujus generis argumentum idem Cicero adhibet pro Balbo c. 10. *Cum pro sua patria pauci post genus hominum natum reperti sint, qui, nullis praemiis propositis, vitam suam hostium telis objecerint: pro aliena republica quemquam fore putatis, qui se opponat periculis, non modo nullo proposito praemio sed etiam interdicto?*

2. *Comparatio a minori ad majus* conversa vice est: cum ex eo, quod minus verosimile, verum tamen est; inferimus etiam id, quod magis est verosimile, in eadem re verum esse. Sic in Horatiano illo Epist. 2. *Ut jugulent homines, surgunt de nocte latrones, ut te ipsum serves, non expergisceris?* (Certe minus verosimile, sed verum tamen est, latrones surgere, ut alienae vitae insidientur, quam te propriae vitae tuendae gratia non evigilare.) Tali modo ex hoc loco argumentum duxit Cic. pro Sext. c. 21. *Mortem, quam etiam*

 Vir-

Virgines Athenis pro patria contemſiſſe dicuntur, ego vir conſularis, tantis rebus geſtis timerem? praeſertim cum ejus eſſem civitatis, ex qua Q. Mucius ſolus in caſtra Porſennae veniſſet, eumque interficere propoſita ſibi morte conatus eſſet? ex qua Decius primum pater, tum poſt aliquot annos patria virtute praeditus filius &c. Alibi non minus preſſe ad rem ſuam utitur hoc loco Cicero, praecipue L. I. de Orat. c. 44. *Si patria nos delectat, cujus rei tanta eſt vis, ac tanta natura, ut Ithacam illam in aſperrimis ſaxulis, tanquam nidulum, affixam ſapientiſſimus vir* (Ulyſſes) *immortalitati* (quam Calypſo offerebat) *anteponeret; quo amore tandem inflammati eſſe debemus in ejusmodi patriam* (Romam) *quae una in omnibus terris domus eſt virtutis, imperii, dignitatis?*

3. *Comparatio a pari eſt*, cum veroſimile unum ex altero aeque veroſimili infertur, ut: *Quae poena adverſus interfectorem patris juſta eſt, eadem in matris interfectorem juſte animadvertitur.* Ita quoque ex hoc loco Cicer. Philipp. 5. c. 24. Antonium probat hoſtem Romani nominis non minus eſſe, quam Annibalem. *Ergo Annibal hoſtis, civis Antonius? quid ille fecit hoſtiliter, quod hic non fecerit, aut faciat, aut non moliatur & cogitet? Totum iter Antonii quid habuit, niſi depopulationes, vaſtationes, caedes, rapinas? quas non faciebat Annibal, quia multa ad uſum ſuum reſervabat &c.*

a. *Annot.* Qui planiorem hanc doctrinam reddere conati ſunt, paullo aliter definiverunt, nimirum comparationem a majori ad minus tum dici debere, cum contendimus, ut id, quod in majori valet; valeat etiam in minori; e. g. cum Cicero ad Antonium ait: *Quid faceres domi tuae; cum alienae tam ſis inſolens?* & Terent. *Quem ferret, ſi parentem non fert ſuum?* Cicero enim, ſi inſolentia Antonii valet in domo aliena, longe magis valebit in propria; & ſi valet: Parentem non fert ſuum; longe magis valebit: Ergo minus feret alium.

b. Animadverterunt alii, in comparatione a majori propoſitiones ambas, niſi forte involvantur, eſſe negantes; in comparatione a minori affirmantes, in comparatione parium modo affirmantes, modo negantes, ſed recte etiam obſervabit alius nonnemo, haec ſubtilius & inutilius inquiri, praeſertim cum oſtendiſſet prope ludicrum diſcrimen in eadem propoſitione hac affirmative vel negative enunciata: *Virgines non timuerunt mortem; ergo vir conſularis longe minus timere debet.* Et iterum; *Virgines mortem contempſerunt; ergo vir conſularis longe magis contemnere debet;* quarum tamen prior comparatio eſt a majori ad minus; poſterior autem a minori ad majus. Ut adeo vix operae pretium mereatur, qui his immorari minutius velit.

c. Argumenta ab exemplis deducta ſemper eſſe ex loco comparationis ſumta adverte; adeoque haec etiam ad locum iſtum non ſolum referenda, ſed in hoc fonte etiam quaerenda eſſe.

c. Rationem argumentandi ex loco hoc non promtius accommodatiusque, quam ex optimis exemplaribus didiceris. Difces autem: nulla fatis certa lege, fed promifcue nunc ajendo, nunc negando comparationes adhiberi, quamquam femper cum vehementia & emphafi conjunctas. Cicero pro Flacco c. 24. ex temeritate populi Romani populorum Graeciae temeritatem fic colligit: *Hic in graviſſima & moderatiſſima civitate, cum eſt forum plenum judiciorum, plenum magiſtratuum, plenum optimorum virorum & civium, cum ſpeculatur & obſidet noſtra vindex temeritatis, & moderatrix officii, Curia: tamen quantos fluctus excitari concionum videtis? quid vos fieri cenſetis Trallibus? &c.*

K. *Notatio & Conjugata.*

a. Notatio eſt locus *verborum originem & ſignificatum inveſtigans*, & aliquando ex illis laudis, dedecoris, jocique argumentum deducens. E. g. Conful a confulendo; Senatus a fenibus; imperator ab imperando dicitur. Sic Cicero jocofe in *Verris* nomine ad dedecus illius ludit, quafi fic dictus fit, quod omnia verreret, id eſt, omnia furaretur homo furaciſſimus. L. 4. in Verrem c. 32. *O praeclara Verrea!* (intellige feſta) *Quo enim acceſſiſti, quo non attuleris tecum iſtum diem? Etenim quam tu domum, quam urbem adiiſti, quod fanum*

num denique, quod non everſum a te, atque exterſum reliqueris? Quare appellentur ſane iſta Verrea, quae non ex nomine, ſed ex moribus, naturaque tua conſtituta eſſe videantur.

b. Conjugata ſunt illa, *quae ab uno eodemque communi vocabulo varie conjugantur ſeu commutantur*, argumentumque itidem laudis aut vituperationis nonnunquam ſuppeditant. Ut e. g. ex vocibus *imperium, impero, imperator &c.* Ita Cicero pro Marcell. c. 41. in laudes Caeſaris ex hoc loco excurrit: *Caeteros quidem omnes* victores *bellorum civilium jam ante aequitate & miſericordia* viceras; *hodierno die te ipſum viciſti. Vereor, ut hoc, quod dicam, non perinde intelligi auditu poſſit, atque ego ipſe cogitans ſentio, ipſam* victoriam viciſſe *videris, cum ea ipſa, quae illa erat adepta*, victis *remiſiſti. Nam cum ipſius* victoriae *conditione jure omnes* victi *occidiſſemus, clementiae tuæ judicio conſervati ſumus. Recte igitur unus invictus, a quo etiam* victoriae *ipſius conditio visque* devicta *eſt.*

c. Hoc utroque loco etſi Ciceronem nonnunquam in argumentando, praeſertim ad laudandum vituperandumque uſum eſſe deprehendamus, iſtud tamen non vetabit, quin argumenta inde ducta infirma, non raro levia frigidaque in quamcunque partem judicemus, adeoque aut iisdem penitus abſtineamus, aut

non

non nisi parcissime & circumspectissime ea admittamus. Quae ratio fuit, ut duplicem hunc locum in extremum inter suos rejiceremus.

d. Poëtis fortasse aliquando pro opportunitate thematis sui licebit esse hunc locum familiarem, siquidem poëtis perpetuo & in argumentando liberioribus, & in jocando levioribus esse licet. Sic Ovidius a loco Notationis canit in Fastis:

Victima, *quae dextra cecidit* victrice, vocatur;
Hostibus *a domitis* hostia *nomen habet.*

Et Propertius ex conjugatione verborum ita argumentatur:

Aurea *nunc vere sunt saecula. Plurimus* auro
Venit honos: auro *conciliatur amor.*

II. *De Locis extrinsecis.*

a. Loci extrinseci, alias etiam remoti & assumti dicti, sex assignantur a Cicerone & Quintiliano, quos veteres praeceptores una voce sequuntur, videlicet: *Leges* seu *praejudicia*, *Fama*, *Tabulae*, *Jusjurandum*, *Tormenta*, *Testes.*

1. *Leges* sunt constitutiones supremae alicujus Potestatis in scripturam relatae; & *Praejudicia* sunt judicia jam alias in re simili aliqua lata. Ex loco igitur hoc argumentari dicuntur, qui ad stabiliendam senten-

tiam

tiam suam vel legem vel praejudicium adferunt.

2. *Fama est sermo multitudinis*, ait Quintilianus, *qui habet auctoritatem, nisi irrepserit malitia & nimia quaedam, quod plerumque fit, crudelitas.*

3. *Tabulae* sunt quaecunque testimonia scripto exarata, quibus pacta inventa, contractus, testamenta, & alia id genus continentur.

4. *Jusjurandum* est affirmatio vel negatio rei alicujus ritu religioso facta, & Deo. O. M. in testem veritatis appellato. Sic olim Scipio apud Liv. l. 23. *Si sciens fallo, tu me Jupiter Optime Maxime, domum, familiam, remque meam pessimo loco afficias.*

5. *Tormenta*, aliter etiam *Quaestio* dicta, sunt cruciatus, quorum vi a reis veritas extorquetur.

6. *Testes*, dicuntur ii homines, qui de re, quae in controversiam vocatur, voce vel scripto testimonium ferunt.

b. Vel simplex intuitus istorum locorum docet eos ad genus judiciale praecipue referri omnes, quod genus, cum hodie (nisi fortassis declamationis caussa) judiciis ad forma translatis in Oratoria nostra locum vix habere jam possit, intelligitur hinc etiam locos hos omnes

nes extrinſecos minimi & prope nullius uſus apud nos eſſe poſſe, neque adeo tirones noſtros doctrina inutili prolixe onerandos eſſe.

c. Quare praeceptores hodierni locis iſtis ſex extrinſecis melius unicum ſubſtituerunt, Locum auctoritatis, qui nihilo minus rei probandae externus eſt, quam ſex priores, apud populum tamen (ut ipſos, qui ſaepe eadem commoventur, non adducam ſapientes) ponderis eſt longe maximi, & efficacitatis certiſſimae.

d. Definitur autem Auctoritas: *Dictum vel Factum, quo res probatur vera vel bona; aut rejicitur tanquam falſa vel mala.*

Liquet ex ipſa definitione Auctoritatem bifariam dividi debere; eſt enim alia ex dicto vel ſcripto, alia autem ex facto. Itaque

1. *Teſtimonium* vocabitur Auctoritas primi generis ſeu dicti aut ſcripti. Ex hoc ſic argumentatur Cicero ad Q. Fratrem l. 1. *Atque ille quidem princeps ingenii & doctrinae Plato, tum denique fore beatas reſpublicas putavit, ſi aut docti aut ſapientes homines eas regere coepiſſent; aut ii, qui regerent, omne ſuum ſtudium in doctrina ac ſapientia collocaſſent.* Et l. 2. de Divin. c. 24. *Vetus autem illud Catonis admodum ſcitum eſt, qui mirari ſe ajebat, quod non rideret aruſpex, aruſpicem cum vidiſſet. Quota*

ia enim quaeque res evenit prædicta ab istis? aut sit evenit quidpiam, quid afferri potest, cur non casu id evenerit? &c.

Annot. Observatum est in Oratorum Principe, eum ad irfirmandam testimoniorum auctoritatem, si necesse esset, triplicem fere viam invenisse.

a. Aliquando enim auctoritati aliam opposuit auctoritatem. Id mira vehementia praestitit pro Fontejo c. 10. ibi: *Quid secuti esse videmini? voluntatemne hominum? gravior igitur vobis erit hostium voluntas, quam civium? An dignitatem testium? potestis igitur ignotos notis, iniquos aequis, alienigenas domesticis, cupidos moderatis, mercenarios gratuitis, impios religiosis, inimicissimos huic imperio ac nomini bonis ac fidelibus & sociis & civibus anteferre?*

a. Alias auctoritatem extenuavit, & rem ad rationem avocavit. Ita pro Flacco c. 5. extenuat: *Qui dicit testimonium nostris ex hominibus, ut se ipse sustentat! ut omnia verba moderatur! ut timet, ne quid cupide; ne quid iracunde, ne quid plus minusve quam sit necesse dicat! Num illos* (Graecos) *item putatis? quibus jusjurandum jocus est, testimonium ludus, existimatio vestra tenebrae! laus, merces, gratia, gratulatio proposita est omnis in impudenti mendacio.* Et pro Coelio c. 9. ad rationem ab auctoritate deducit: *Equidem vos abducam a testibus; neque hujus judicii veritatem, quae mutari nullo modo potest, in voluntate testium collocari sinam, quae facillime fingi, nullo negotio flecti, ac detorqueri potest. Argumentis agemus: signis omni luce clarioribus crimina refellemus: res cum re, caussa cum caussa, ratio cum ratione pugnabit.*

c. Non-

c. Nonnunquam adversariorum testimonium in ipsosmet validissime convertit. Ita L. 2. de Finib. c. 27. suismet Epicurum scriptis revincit: *Negat Epicurus diuturnitatem quidem temporis ad beate vivendum aliquid afferre - - - haec dicuntur inconstantissime. An dolor longissimus quisque est miserrimus; voluptatem non optabiliorem diuturnitas facit? Quid est igitur cur ita semper Deum appellet beatum et aeternum? demta enim aeternitate nihilo beatior Jupiter, quam Epicurus: uterque enim summo bono fruitur, id est, voluptate.*

2. *Exemplum* porro vocabitur, si auctoritas secundi generis scilicet ex facto, adhibebitur. Sic Cicero l. 1. in Verrem c. 21. signorum & tabularum rapinam ab exemplis continentium Imperatorum exprobat: *Quid ego de M. Marcello loquar, qui Syracusas urbem ornatissimam cepit? Quid de L. Scipione, qui bellum in Asia gessit, Antiochumque regem potentissimum vicit? Quid de Flamminio, qui regem Philippum & Macedoniam subegit? Quid de L. Mummio, qui urbem pulcherrimam, atque ornatissimam Corinthum, plenissimam rerum omnium sustulit? — — Quorum domus cum honore & virtute florerent, signis & tabulis pictis erant vacuae.*

Annot. Vel improbissimorum quoque nonnunquam valent exempla, sed scilicet ad gravius exaggerandum, vel ad rejiciendas res infamia alioqui jam notatas. Sic Cic. L. 1. in Verrem c. 18. de expilato templo, cui vel ipsi Persae pepercerant,

cerant, Verrem exagitat: *Tanta ejus* (templi Apollinis in Insula Delo) *religionis auctoritas & est & semper fuit, ut ne Persæ quidem, quum bellum toti Græciæ, Diis, hominibusque indixissent, & mille numero navium ad Delum appulissent, quidquam conarentur aut violare, aut attingere. Hoc tu fanum depopulari; homo improbissime atque amentissime audebas? Fuit illa cupiditas tanta, quæ tantam extingueret religionem? &c.*

f. Quoniam vero testimonia & exempla (quæ tantam vim ad ornandum pariter & movendum habent) nisi ex magna eruditione, ac præsertim vasta cognitione historica repeti non poterunt, facile hinc conjicient tirones nostri, quanta illis rerum istarum, præsertim ex studio pulcherrimo historico, penus congerenda sit, ut præ manibus sit, unde re postulante sibi necessaria subsidia depromant.

III. *De Locis subsidiariis.*

a. Induxerunt præceptores nonnulli aliud quoddam locorum oratoriorum genus a prioribus non solum, ut rebantur, diversum, sed numero contractius, facilius, magisque ad juventutis usum in medio positum.

b. Genus istud locorum rursus in duas classes partiti sunt, eorumque alios *communes*, alios *proprios* appellarunt.

1. *Communes* quidem eos dixerunt, qui ita omnibus rerum & caussarum generibus se accommodant, ut per singula eorum pro re nata liberrime pervagentur.

2. *Proprius* vero illos vocarunt, qui uni alterive solum horum trium genericum convenirent.

Annot. Neque vero hos tam anguste proprios existimabimus: ut si nunquam ad alterum genus caussæ transire possunt, quæ uni sunt dedicata; sed sic, ut ubi proprii dicuntur, ibi dominentur, & propriam necessariam, ac constitutam sedem habeant. Itaque loci, qui e. g. ad exornativum genus partinent, ii in deliberativo quoque aut judiciali, cum occasio tulerit, locum habere poterunt, & contra; cum interea sui generis tantum proprii sint ac manent. Sic laudari de honestate & reus, & res, quæ suadetur, poterunt, quin honestum propterea proprietatem sedis suæ in exornativo genere amittat.

c. Locos *communes* quatuor assignant, videlicet: *Magnitudinem & Parvitatem, Possibilitatem ac Impossibilitatem.*

1. Locus *Magnitudinis* positus est in augendo, in quo teste Fabio maxima vis orationis se exerit. Augendi porro vis nequaquam in hoc consistit, ut rem dicendo majorem faciamus, quam veritas patiatur; sed in magnitudine alicujus rei ita explicanda illustrandaque, ut planissime intelligi sentirique valeat.

Annot. Explicandæ hujus magnitudinis ratio deinceps a caussis, ab effectis, a definitionibus, ab adjunctis, a comparationibus, &c. repetenda est, ut adeo nolentibus volentibus ad locos oratorios consuetos recurrendum sit. Itaque magna reputabitur

bitur res, vel quia a magnis caussis ortum habuit; vel quia effectus magni & grandes ex re consecuti sunt; aut etiam quod natura ipsa rei eminens aut excelsa est; vel denique quod modus, locus, tempus, circumstantiæ &c. magnitudinem augeant; aut postremo, quod cum rebus magnis collata sublimior illustriorque evadit &c.

2. Locus *Parvitatis* deinde, ut contrarius est priori, ita in ejus tractatione contrariæ ad imminuendam ineundæ erunt viæ.

3. Locus *Possibilitatis*, qui non ex metaphysica aliqua subtilitate, sed ex oratoria popularitate intelligendus est, huc potissimum redit: possitne aut potuerit, imo etiam poteritne fieri id, quod diu quæstione est, nec ne? Quod enim neque factum est, nec fieri posse demonstratur, deliberationis etiam aut judicationis thema esse non posse manifeste declaratur; imo ne laudationis quidem aut vituperationis. Hinc

4. Locus *impossibilitatis* ejusque item tractatio ex ipsa notitione nominis facile innotescit.

a. *Annot.* Ad declarandum stabiliendumque nitide hunc locum, philosophicumne melius dicamus an oratorium? in subsidium iterum loci prius recensiti Rhetorici: definitio, caussæ, adjuncta &c. advocandi erunt; ut adeo merito, si non de tironibus universe, de tironibus adolescentibus saltem dubium sit, compendifactane sit aliqua in illorum gratiam difficultas, an multiplicata?

b. Non eſt neceſſe latius immorari, quomodo hi quatuor loci communium nomen ferant; ex dictis enim hucusque patet, illos ad omne genus cauſſarum pertinere.

d. Loci *proprii* ſecundum tria notiſſima cauſſarum genera numerantur ſex in tribus claſſibus, nimirum:

1. *Honeſtas & Turpitudo* in genere exornativo.

Utilitas & Detrimentum in genere deliberativo.

Juſtitia & Injuſtitia in genere judiciali.

Annot. Locos hos proprios, quos alii fines vocarunt, tractandi modus in ſuperioribus iterum locorum fontibus requirendus erit. Neceſſario enim ad illorum unum vel plures confugiendum eſt, ut ex honeſtate aut utilitate argumentum aliquod grave & perſpicuum efficiatur.

e. Opportune in gratiam tironum adoleſcentum nonnulli præceptores alii ſummos fontes quatuordecim tradiderunt, quos ſi diligenter excuterent, indubie in eorum aliquibus appoſita ad propoſitiones ſuas argumenta promtiſſime reperirent.

f. Sunt autem fontes iſti: *honeſtum*, *inhoneſtum*; *juſtum*, *injuſtum*; *neceſſarium*, *non neceſſarium*; *utile*, *noxium*; *jucundum*, *ingratum*; *facile*, *difficile*; *certum vel manifeſtum*, *incertum*. Ex his fontibus vel modico conatu juvenes ipſi ratio-

rationes opportunas validasque deducent, si modo notiones ipsorum fontium claras explicatasque tenuerint. In quam rem proinde

1. *Honestum* est, quod in se ipso rationes honestatis, decentiæ, ac proinde laudis continet; cujusmodi est omnis virtus, omne opus bonum & laudabile: ut: *artibus & scientiis, læso militi, aut paupertati derelictæ domicilia collocare. &c.*

2. *Inhonestum* in se ipso consideratum, malum, indecorum, turpe est, ut omnis actio mala & vitiosa in semet inhonesta, indecens, turpisque est. Ut: *mentiri, irreligiosum esse in superos, irreverentem inparentes. &c.*

3. *Justum*, quod legibus divinis aut humanis undeqvaque consentaneum est, ut: *patriam defendere, principem revereri, eique obtemperare, benefacientibus gratum esse.*

4. *Injustum*, quo iisdem his legibus repugnat ut: *seditiones excitare, famæ alienæ detrahere, rapere aliena. &c.*

5. *Utile*, quod fructus & commoda adfert, ut; *tributis publicis respublica tota sustentatur, milites, legati, administri publici. &c.*

6. *Noxium* ex contrario illucescit, scilicet cujus consecutiones damna sunt, ut: *Luxus; qui in totam rempublicam invasit, perniciosissimus est. &c.*

7. *Necessarium*, quod omnino fieri necesse est, nec sine gravi periculo aut damno omitti potest; ut: *Concordia civium, disciplina militaris, discretio ordinum in populo, &c.*

8. *Non necessarium*, sine quo res esse vel fieri potest, ac proinde nimium, superfluum, & inutile est; ut: *In viris formæ & vultus cura. &c.*

9. *Jucundum*, quod voluptatem & oblectamentum adfert; ut: *Lætitiæ publicæ, festa splendida in nativitatibus principum, nuptiis, triumphis. &c.*

10. *Injucundum*, quod tristitiam aut calamitatem parit; ut: *Ambitionis immoderatæ aut prodigalitatis tristissimi effectus.*

11. *Certum seu manifestum*, quod omnibus notum, quod evidens est, quod negari non potest, ut: *in agrorum cultura rerum publicarum vires & salutem consistere. Multitudine populi niti regnorum felicitatem. &c.*

12. *Incertum*, cum quid obscurum, confusum dubiumque est, ut: *cum nonnunquam nova reipublicæ administrandæ delineatio offertur &c.*

13. *Facile*, quod nullo vel parvo admodum negotio confici potest, ut: *Exercitus con-*

scri-

ſcriptio, aut delectus inſtitutio in regnis copia hominum affluentibus &c.

14. *Difficile*, quod vel fieri omnino nequit, aut non niſi graviſſimis laboribus & periculis effici; ut *flos & vigor commerciorum publicorum ſine maritimæ navigationis, ſine viarum publicarum opportunitate &c.*

a. *Annot.* Hos itidem fontes ad tria cauſſarum genera revocari facile patet. Sic namque: honeſtum, inhoneſtum, jucundum, & injucundum ad *genus exornativum;* utile, noxium, neceſſarium, non neceſſarium, facile & difficile ad *genus deliberativum*; juſtum autem, injuſtum, certum & incertum ad *genus judiciale*, ita tamen referentur, ut quod ſupra jam ſemel monuimus; ſine hæſitatione permiſceri valeant.

b. Ad ſingulos autem horum fontium plurimi præterea alii adjungentur, ut decorum, laudabile, glorioſum &c. ad *honeſtum;* inglorium, infame, ſtultum, turpe &c. ad *inhoneſtum;* & ſic de ceteris plurimis, quæ commemorare & longum eſſet, & quoniam obvia ſunt, non attinet.

g. Uſus locorum iſtorum fortaſſis principio non inepte commendabitur juvenibus, præſertim cum themata breviora & ſubitariæ dictiones occurrent; modo cogitatus per omnes circumferre & congruentiores ſeligere non tam verbis, quam exemplis doceantur.

Annot. Ecce eorum unum: Sit propoſitio: *Principibus vera duntaxat & dicenda, & referenda ſunt.*

 Si

Si propofitionem hanc examines, difcurrasque per propofitos locos; offerentur fortaffis hæ aut fimiles rationes, quia id *honeftum* eft in femet, & officium cujuscunque probi viri; quia id *juftum* eft, cum legibus namque divinis humanisque concordat; quia *id neceffarium* eft, neque enim aliter Princeps bene gubernare rempublicam; neque mala avertere ab illa poterit; quia *utile* eft non tantum Principi, fed ipfi etiam reipublicæ, ut Principes jufte vereque ftatum regnorum & fubditorum fuorum pernofcant; quia non eft *difficile* viris probis & confiliariis fapientibus, ita dicta & confilia fua ex veritate moderari, ut veritas univerfis faluti, nemini damno aut periculo fit &c. Habes hinc igitur tot argumenta fere nullo labore eruta, quot rationes ex locis depromfifti.

§. II.

De Argumentationibus.

a. Argumentum ad fidem faciendam inventum deinceps artificiofe explicandum eft, ut ad finem conferat, quem orator fibi propofuit, fcilicet; ut non probet tantum, quæ affumfit, fed ut in animos etiam audientium illabatur, moveatque. Atque hæc artificiofa argumenti explicatio apud Rhetores Argumentatio vocatur.

Annot. Sunt equidem argumentationes philofophici pariter & oratorii fori, fed ita nimirum; ut Zeno Philofophus Stoicus earum difcrimen adumbravit: philofophicam argumentationem, inquam; manu adftricta & in pugnum collecta; oratoriam autem manu expanfa explicitaque.

b. Ut

b. Ut vero non una corpus eleganter veſtiendi eſt ratio, ita artificioſa hæc argumentorum conveſtiendorum forma eſt multiplex apud Oratores, & ad varietatem orationis impetrandam admodum varia.

c. Præcipua tamen argumentationum præ ceteris hæc apud Oratores obtinent genera: *Syllogiſmus*, *Enthymema*, *Inductio*, *Dilemna*, *Sorites & collectio.*

A. *Syllogiſmus.*

a. Syllogiſmus eſt argumentatio, *quæ conſtat duabus propoſitionibus ſic inter ſe connexis, ut inde tertiam aliquam propoſitionem ſequi ſit neceſſe.* Ita Cicer. L. de Orat. c. 41. iſtas duas propoſitiones: virum conſularem decet ſcire & diſcere eloquentiam; & alteram: quod decet ſcire & diſcere, decet etiam docere, ſic devinxit invicem, ut manifeſte ſequeretur hæc tertia: virum conſularem decet tradere præcepta eloquentiæ, ac proinde talis Syllogiſmus: *Decet docere id, quod decet ſcire ac diſcere, atqui decet ſcire ac diſcere eloquentiam, ergo decet eam docere.*

Annot. Propoſitionum trium, quæ ſyllogiſmo tali continentur, ſingulæ propria apud Philoſophos ſortita ſunt nomina; nempe prima. *Major*, altera: *Minor*, tertia: *Conſequens* dicta eſt.

b. Oratores, ſicuti adſtricto philoſophico argumentandi genere contenti eſſe non poſſunt,

ita nominibus quoque aliis totam hanc argumentandi rationem enunciarunt. Itaque Syllogiſmum *Ratiocinationem;* Majorem ſeu primam ratiocinationis partem *Propoſitionem:* Minorem *Aſſumptionem;* & Conſequens *Concluſionem vel Complexionem* appellarunt.

c. Contingit autem non raro, ut vel alterutra propoſitionum priorum, vel utraque ſatis perſpicuæ non ſint, atque inde probationibus probari illuſtrarive debeant, unde tripartitus, quatripartitus aut quinquepartitus enaſcitur ſyllogiſmus vel ratiocinatio, (jam enim promiſcue cum Philoſphis etiam hæc nomina uſurpabimus) prout nempe vel tribus ſimplicibus propoſitionibus, aut unius vel utriusque præterea propoſitionis adjuncta probatione concluditur.

d. Perfectiſſimus a multis cenſetur ſyllogiſmus, ſi quinquepartitus ſit, atque tum his quidem conſtabit partibus: 1. *Propoſitione* ſeu Majore; 2. *Propoſitionis probatione;* 3. *Aſſumtione*, ſeu minore; 4. *Aſſumptionis probatione;* 5. *Complexione* ſeu Conſequentia.

e. Neque vero iſte partium numerus, atque derivata inde ſyllogiſmi perfectio ordinem etiam perpetuo eundem partium exigit; ſed de hoc utroque capite, ordine inquam & numero, ſola argumenti neceſſitas definiet. Quid, quod libitus etiam, imo uniformitatem defugiendi, at-

atque artificium oratorium occultandi ratio non sane modicum hic regnat? ut paullo infra videbimus.

f. Conficiendorum porro syllogismorum hanc ajunt esse rationem promtissimam: statuta propositione e. g. *Vitæ puritas omni studio colenda est*, inquirenda est ratio seu argumentum, quo propositio nostra probetur, & occurret ista ab effectu: *quia vitæ puritas amicitiam Dei conciliat*. Reduc deinde argumentum hoc ad propositionem aliquam, sed ita, ut cum propositionis principalis prædicato, ut ajunt, copuletur, efficieturque propositio hujusmodi: *Quod amicitiam Dei conciliat, est colendum*; tum alteram propositionem, quæ argumentum repertum continet, subjunge: *Vitæ puritas amicitiam Dei conciliat*; vides jam tertiam propositionem ex connexis duabus prioribus quasi aliud agenti sub manum nasci, quæ est ipsa propositio primaria: *Vitæ igitur puritas omni studio colenda est.*

g. At jejunior est hæc argumentatio tripartita philosophica; quare Majori Minorique adjiciantur probationes, & Ratiocinatio oratoria quinquepartita perfecta prodibit hoc sensu: *Major.* Quod amicitiam Dei conciliat, est colendum.

Majoris probatio. A Deo enim tantum: quidquid boni est, expectari potest.

Minor.

Minor. Sed vitæ puritas amicitiam Dei conciliat;

Minoris probatio. Similes enim quodammodo nos reddit Deo, qui eſt puriſſimus ſpiritus.

Concluſio. Igitur vitæ puritas eſt colenda.

h. Verſa nunc propoſitiones has ſingulas, eumque collocandarum delige ordinem, qui commodior tibi viſus erit; dilata amplificationibus opportunis, & figuris aptis exorna, formam denique omnem philoſophicam reconde ac diſſimula, tum vero ſyllogiſmum ſeu ratiocinationem oratoriam perfectam elucubraſti.

i. Libet inſpicere exemplar artificii iſtius in Cicerone, qui Paradox. 1. ſyllogiſmum hunc propoſuit:

(Major.) *Illud in bonis habendum non eſt, quod eum, in quo eſt, non facit meliorem;*

(Minor.) *Sed voluptas non facit meliorem eum, in quo eſt;*

(Concluſ.) *Ergo voluptas non eſt in bonis habenda.*

At vide, quam longe aliter a forma iſta philoſophica illum eloquatur:

(Maj.)

(Maj.) *Quidquamne bonum est, quod non eum, qui id possidet, meliorum facit! Ut enim quisque est maxime boni particeps, ita & laudabilis maxime; neque est ullum bonum, de quo non is, qui ea habeat, honeste possit gloriari.*

(Minor.) *Quid autem est horum in voluptate? melioremne efficit, aut laudabiliorem virum? An quisquam in potiundis voluptatibus, gloriando sese & prædicatione effert?*

(Concluf.) *Quis igitur eas, quibus plerique hominum adstricti sunt, votuptates in bonis rebus, aut expetendis esse ducit?*

k. Aliud luculentum exemplum elocutionis & ordinis in argumentatione ista adhibiti habetur apud eundem Ciceronem pro Sext. Rosc. Amerin. c. 13. ubi hoc syllogismo quinque partito defendit Roscium.

(Maj.) *Quicunque suspectus est parricidii, eum audacissimum ac sceleratissimum esse oportet:*

(Maj. prob.) *Quia parricidium est crimen horrendum.*

(Minor.) *Sed Sextus Roscius non est talis;*

(Min. prob.) *Quia Roscius non est audax, nec luxuriosus, nec avarus.*

(Concluf.) *Ergo non est suspectus parricidii.*

Jam

Jam propositionum istarum elocutio, & commutatus in elocutione propositionum ordo sunt hujusmodi:

(Majoris probatio.) *Occidisse patrem Sextus Roscius arguitur. Scelestum, Dii immortales! ac nefarium facinus, ac ejusmodi, quo uno maleficio scelera omnia complexa esse videantur. Etenim si (id quod præclare a sapientibus dicitur) vultu sæpe læditur pietas, quod supplicium satis acre reperietur in eum, qui mortem obtulerit patri, pro quo mori ipsum, si res postularet, jura divina atque humana cogebant.*

(Major.) *In hoc tanto, tam atroci, tam singulari maleficio: quod ita raro existit, ut si quando auditum sit, portenti ac prodigii simile numeretur; quibus tandem te, C. Eruci, argumentis accusatorem censes uti oportere? Nonne & audaciam ejus, qui in crimen vocetur, singularem ostendere, & mores feros, immanemque naturam & vitam vitiis flagitiisque omnibus deditam, denique omnia ad perniciem profligata atque perdita?*

(Minor.) *Quorum tu nihil in Sextum Roscium, ne objiciendi quidem caussa contulisti.*

(Minoris Probatio) *Patrem occidit Sextus Roscius? Qui homo? Adolescentulus corruptus & ab hominibus nequam inductus? annos natus magis quadraginta. Vetus videlicet sicarius, homo audax, & sæpe in cæde versatus? At*

hoc

hoc ab accusatore ne dici quidam audistis. Luxuries igitur hominum, & aeris alieni magnitudo, & indomitae animi cupiditates ad hoc scelus impulerunt? De luxuria purgavit Erucius, quum dixit, hunc ne in convivio quidem ullo interfuisse. Nihil autem unquam debuit. Cupiditates porro, quae possunt esse in eo, qui ut ipse accusator objecit, ruri semper habitarit, & in agro colendo vixerit? quae vita maxime disjuncta a cupiditate, & cum officio conjuncta.

(Conclus.) *Quae res ergo tantum istum furorem Sexto Roscio objecit.*

B. *Enthymema.*

a. Enthymema est *argumentatio constans duabus tantum propositionibus, quae ita inter se connexae sunt, ut posterior ex priori pendeat & consequatur.* e. g. Omnes artes liberales magnopere sunt expetendae, ergo eloquentia est expetenda.

1. *Annot.* Propositionum Enthymematis prior vocari solet *Antecedens*, posterior *Consequens* aut *Conclusio*.

2. Enthymema aliter vocatur Syllogismus imperfectus, non quasi imperfectum opus oratorium sit, sed quod alterutra priorum propositionum ex Syllogismo detracta Enthymema enascatur Plerumque tamen propositio prior seu Major Syllogismi omittitur, quae, cum generalis sit & proinde notior, facilius abesse, atque absens intelligi potest. Sic in hoc Ciceronis Enthyme-

memate; *Clodius insidias struxit Miloni, ergo Clodius jure fuit occisus*, omissa est propositio Major, *Quincunque struit insidias, jure occiditur.* In hoc autem alio superius allato: *Omnes artes liberales sunt magnopere expetendæ, ergo eloquentia est expetenda*, propositio hæc minor subauditur: *Sed eloquentia est ars liberalis.*

b. Erit autem in Enthymemate observandum idem, quod jam de Syllogismo monuimus, nempe figuris aliisque amplificationum ornamentis distinguendum esse; tum ordinem etiam propositionum in elocutione non raro esse perturbandum, ut quacunque licebit, artificium varietur & occultetur.

Annot. Res tota exemplis planior fiet. Sic Cicero Paradox. 5. enthymema istud: Cupidus hæreditatis præstat omnia, quæ servi sunt propria, ergo liber non est; ita invertit & enunciat: *Loquitur ad voluntatem; quidquid denunciatum sit, facit; assentatur, assidet, muneratur: quid horum est liberi, quid denique non servi inertis?* Et pro Milone c. 18. aliud enthymema: Clodius mansurus fuit in Albano; ergo de insidiis non cogitavit, converso ordine sic protulit; *igitur ne Clodius quidem de insidiis cogitavit, quoniam fuit in albano mansurus &c.* Denique Philipp. 5. c. 1. enthymema istud: Arma non ponit Antonius, ergo pacem non vult, quam artificiosa deflexione & eleganti amplificatione profert: *Pacem vult Antonius? arma ponat, roget, deprecetur; neminem æquiorem me reperiet, cui quidem, dum se civibus impiis commendat, inimicus esse, quam amicus maluit. Nihil est profecto: quod dari possit bellum gerenti, erit fortasse aliquid, quod concedi possit roganti.*

c. Inso-

c. Insolens prorsum non est, ut quemadmodum in syllogismis Propositioni aut Assumtioni nonnunquam subjiciuntur probationes, ita in enthymemate quoque Antecedens probationibus firmetur. Exemplum & sæpe alibi apud Ciceronem, & nominatim pro Muræna c. 39. extat; ubi in hoc enthymemate: *Catilina facinorosus comdemnaret Murænam, ergo judices eum condemnare non debent*: rationem Antecedentis subjungit: *quæ condemnatio Murænæ utilis foret nefariis Catilinæ consiliis* &c.

d. Et quoniam argumentationes enthymematis constrictæ fere validius acriusque percellunt, quam per syllogismos diffusæ, hic frequens argumentationis istius usus est apud oratores. Acrius sane & nervosius Cicero sententiam suam constrinxit enthymemate hoc: *Arma non ponit Antonius: ergo pacem non vult:* quam si Majorem addendo: *Qui arma non ponit, pacem velle censeri non potest*, per syllogismum languidam fortasse & infirmam orationem suam reddidisset.

e. Ex eadem hac roboris & vehementiæ caussa illud Enthymematum genus ceteris melius reputatur, quod ex contrariis componitur: ajunt enim hæc ferire certius ac fortius. Ita Cicero pro Milone c. 16. hoc enthymema: *Milo noluit occidere Clodium, cum impune potuit; ergo non est credibile voluisse occi-*

dere, quando sine summo suo periculo non potuit; oratoriis coloribus per contraria ita exprimit: *Quem igitur cum omnium gratia voluit, hunc voluit cum aliorum querela? quem jure, quem loco, quem tempore, quem impune non est ausus; hunc injuria, iniquo loco, alieno tempore, periculo capitis non dubitavit occidere?*

f. At hanc enthymematum speciem nonnulli Oratoriæ magistri illam aliam referunt. *Epicherema* dictam, quod omnino aliud non est, nisi enthymema, vel si mavis, syllogismus ad unicam propositionem contractus; in utrumque enim pro libitu facile diducetur epicherematis propositio. e. g. *Quis dubitet mundum qui optime regitur, consilio & providentia administrari?* aut: *Sine caussa dominum servus accuset?* In his enim unicis manifestum est, duas vel tres propositiones contineri hoc modo: *Quod optime regitur, consilio & providentia administratur: mundus optime regitur, ergo consilio & providentia administratur.* &c. Sive enim primam, sive secundam propositionem juxta dicta demseris, enthymema efficies. Ob quam caussam alii epicherema ad enthymematum; alii ad syllogismorum classem ablegarunt.

C. *Inductio.*

a. Inductio est argumentatio, *qua ex pluribus rebus singularibus infertur aliquid ipsis simile.* Ita

Sene-

Seneca ex plurimis rebus singularibus enumeratis concludit solum referre, quam bonus quis sit. *Navis bona dicitur, non quæ pretiosis coloribus picta est, nec cui argenteum, aut aureum rostrum est, sed quæ stabilis est, firma, velox, & consentiens vento. Gladium bonum dices, non cui deauratus est balth us, nec cui vagina gemmis distinguitur, sed cui ad secandum subtilis est acies. Regula non quam formosa, sed quam recta sit, quæritur. Ergo in homine quoque nihil ad rem pertinet, quantum aret, a quam multis salutetur, sed quam bonus sit.*

Annot. Hanc argumentandi rationem Socraticam etiam dixerunt propterea, quod Socrati perfamiliaris fuisse perhibeatur.

b. Sunt autem tres potissimum fontes, unde Inductiones manare passim solent, nempe:

1. *Ab enumeratione partium.* Sic Cicer. L. 3. de Orat. c. 45. In navigiis fabricandis præter necessitatem etiam venustatis rationem haberi inductione partium ostendit; *Quid tam in navigio necessarium, quam carinæ: quam prora, quam puppis, quam antennæ, quam vela, quam mali: quæ tamen hanc habent in specie venustatem, ut non solum salutis, sed etiam voluptatis caussa inventa esse videantur.*
2. *A congerie similium.* Sic Cicero loco mox citato hanc propositionem: *Ut in plerisque rebus incredibiliter hoc natura est ipsa fabri-*

cata, ſic in oratione, ut ea, quæ maximam utilitatem in ſe continerent, eadem haberent plurimum vel dignitatis, vel ſæpe etiam venuſtatis; hanc inquam propoſitionem probat ex forma *mundi, hominum, pecudum, arborum, navium, ædificiorum* &c. Tale eſt item tritum illud: *Si equus generoſiſſimus putatur, qui acerrimus ac velociſſimus; vinum porro, quod optimum: homo etiam generoſiſſimus putari debet is, qui virtute maxime excellit.*

3. *A congerie exemplorum.* Sic Cicer. pro Muræna c. 31. inductione ita fere adverſus Catonem Uticenſem argumentatur: Summi viri Scipio, C. Lælius, L. Philippus, C. Gallus, Cato proavus, etſi Stoici omnes, comes tamen fuere, ergo neque hunc Catonem ſummum virum & Stocium dedeceat comitas, moderatio, humanitas &c. Hac exemplorum congerie item utitur pro Milone c. 3. ubi; quod ſibi objecerat, *Negant intueri lucem fas eſſe ei, qui a ſe hominem occiſum fateatur*, ita diſſolvit: *In qua tandem urbe hoc homines ſtultiſſimi diſputant? nempe in ea, quæ primum judicium de capite vidit M. Horatii fortiſſimi viri, qui nondum libera civitate, tamen populi Romani comitiis liberatus eſt, quam ſua manu ſororem interfectam eſſe fateretur* - - - Adducit deinde ulterius exempla: Africani, Ahalæ Ser-

vilii,

vilii, P. Naſicæ, L. Opimi, C. Marii, ſui denique ipſius & totius ſenatus in cauſſa conjuratorum cum Catilina.

Annot. Magnæ virtutis eſſe hanc argumentandi fontem ad intelligentiam præſertim pupularem jam alibi vel notavimus, vel inſinuavimus.

c. Sunt vero in quacunque inductione duo perquam ſollicite conſideranda & curanda:

1. Ut, quæcunque inducuntur ad rem ſtabiliendam, indubitata & certiſſima ſint: facile enim alioqui totius augumentationis fidem labefactabit, ſi vel unum ex inductis vacillaverit.

2. Ut inter ea, quæ inducuntur, & illud, cujus gratia inducuntur, ſimilitudo intercedat, ſine qua ſimilitudine nec ad probandum, nec ad illuſtrandum magnopere valere poteſt argumentatio iſta.

Annot. Contingit non infrequenter, ut unicum in rem propoſitam arceſſatur a factis firmamentum, tum vero nequaquam inductio ab exemplis futura eſt, ſed nomine proprio appellabitur exemplum.

d. Exemplum ergo hoc poſtremo ſenſu acceptum eſt *argumentatio, qua ab uno vel facto, vel dicto vel negotio ad aliud ſimile argumentum ducimus.* Ut: Q. Tubero propter ſorditiem prætura dejectus eſt; igitur intempeſtiva parſimonia populo Romano nunquam probabitur.

Annot. Rejicitur exemplum a multis præceptoribus ex argumentationum numero propterea, quod cum ex unico ſolum ſimile procedat, inductionis imperfectæ potius nomen mereri, quam peculiaris argumentationis fontem conſtituere videatur.

D. *Dilemma.*

a. Dilemma definitur: *argumentatio conſtans duabus partibus contrariis, quæ utrinque adverſarium capiunt.* Sic Stoici tolerationem quorumcunque dolorum facilem eſſe defendebant. *Omnis namque dolor*, abjebant, *aut vehemens, aut levis eſt, ſi levis eſt, facile perfertur; ſi vehemens autem, certe brevis, ac proinde iterum facile tolerabilis.* Sic etiam Cicero Philipp. 5. dilemmate legatos ad Antonium mittendos non eſſe oſtendit: *Legatos decernitis*, ait, *ſi, ut deprecentur, contemnet, ſi, ut imperetis, non audiet.*

Annot. Vocant hanc argumentationem alio nomine ſyllogiſmum cornutum, quod nempe propoſitiones hae cornuum inſtar ſic diſpoſitæ ſint, ut dum unum effugeris, in alterum incurras. Tales argumentationes apud Ciceronem ſæpiſſime occurrunt. En ex multis unam ex L. 2. Verr. c. 61. ubi cum rejectum eſſet aratorum Siculorum adverſus Verrem teſtimonium, urget accuſator Cicero dilemmate ad ſtatuam ab iisdem aratoribus poſitam intendens, atque inferens: teſtimonium aratorum valere in hac cauſſa, ſive volentes, ſive coacti ſtatuam dederint. *Quid ergo illæ ſibi ſtatuæ equeſtres inauratae volunt? - - - nam inſcriptum eſſe video, quamdam ex his ſtatuam oratores dediſſe. Si honoris cauſſa ſtatuam dederunt, inimici non ſunt; credamus teſtibus. Sin autem metu*

coacti

coacti dederunt, confiteare necesse est, te in provincia pecuniam statuarum nomine per vim ac metum coegisse. Utrum tibi commodum est, elige.

9. Tractationem dilemmatis fere duobus modis suscipi vidimus a clarissimis oratoribus:

1. Vel enim paucis verbis brevibusque propositionibus evibratur, ut scilicet celerius acriusque perstringat, quod fere frequentius. Id factum videmus superiori exemplo in Antonium de legatis; & iterum in eumdem Antonium Philipp. 2. c. 23. cum enim alios ab exilio revocasset, patruum autem suum in eodem reliquisset, urget Cicero: *Si severus, cur non in omnes? si misericors, cur non in suos?* Et adhuc in eundem Antonium nova decreta venditantem, quæ fingebat esse Cæsaris, c. 39. *Unde ista erumpunt? quo auctore proferuntur? Si sunt falsa, cur probantur? Si vera, cur vaeneunt?*

2. Vel nonnunquam ad majorem vim argumentationi huic tribuendam utraque dilemmatis pars probationibus instructa amplificataque proponitur. Illustrissimum plane hujus generis est exemplum, quod etsi nonnihil longius, singularis tamen vigoris & claritatis simul gratia exscribi totum meretur. Philipp. 2. c. 31. *Nunquamne intelliges statuendum tibi esse, utrum illi, qui istam rem gesserunt, homicidii rei sint, an vindices libertatis! Attende enim paulisper, cogitatio-*

nemque sobrii hominis ad punctum temporis suscipe. Etenim ego, qui sum illorum, ut ipse fateor, familiaris, ut a te arguor, socius; nego quidquam esse medium; confiteor eos, nisi liberatores populi Rom. conservatoresque reip. sint, plusquam sicarios, plusquam homicidas, plus etiam, quam parricidas esse; siquidem atrocius patriæ parentem, quam suum occidere. Tu, homo sapiens, & consideratus quid dicis? Si parricidæ, cur honoris caussa a te sunt, & in hoc ordine, & apud populum Rom. semper appellati? Cur M. Brutus, te referente, legibus est solutus, si ab urbe plusquam decem dies absuisset? cur ludi Appollinares incredibili M. Bruti honore sunt celebrati? cur provinciæ Cassio & Bruto datæ? cur Quæstores additi? cur Legatorum numerus auctus? atque hæc acta per te: non igitur homicidæ. Sequitur, ut liberatores tuo judicio sint, quandoquidem tertium nihil potest esse. Quid est, num conturbo te: non enim fortasse satis, quæ distinctius dicuntur, intelligis, Sed tamen hæc est summa conclusionis meæ, quoniam scelere a te liberati sunt, ab eodem te amplissimis præmiis dignissimi judicati sunt.

b. Dissolvendi porro dilemmatis fallacis ac captiosi, quod non raro sunt, tres ab oratoribus tentari consueverunt viæ:

1. Aut enim *Negabitur* dilemmatis pars una, ut si dolorem gravem, quamvis brevem tolerabilem esse neges.

2. Aut

2. Aut *Distinguetur*, mediumque quid inter propositiones oblatas inseretur; ut si legatos ad Antonium neque deprecandi, neque imperandi; sed monendi postremum gratia mittendos ajas.

3. Aut penitus *Retorquebitur* & convertetur dilemma totum. Sic L. 2. Rhetoricor. Aristotel. Mater filio dissuasura, ne verba ad populum faceret, tali dilemmate usa narratur: *Si injusta suaseris, habebis Deos irratos, si justa, homines:* quod tamen filius sic retudit: *Imo expedit ad populum verba facere si enim justa suasero, Dii me amabunt: si injusta, homines.* Ejusdem generis est tritum illud Protagoram præceptorem inter & discipulum de pacta mercede litigium: cum enim præceptor hoc dilemmate pro mercede pugnat: *Si in judicio vicero ego debes mercedem ut condemnatus, si tu viceris, ex pactione debebis*, versipellis discipulus alio dilemmate robur argumenti in se contorti elidit: *Si caussam in judicio vicero; ex judicum sententia mercedem nullam debeo; si autem victus ero, ex pacto itidem liber ero.*

E. *Sorites.*

a. Sorites, latinis teste Tullio *Syllogismus acervalis, est argumentatio, in qua gradatim & velut acervatim congestis pluribus propositionibus paullatim ad ultimam conclusionem proceditur.*

 Sic

Sic Cicer. l. 3. Tuſcul. QQ. c. 7. probat ægritudinem non cadere in fortem virum: *Neceſſe eſt, qui fortis ſit, eundem eſſe & magni animi, qui magni animi ſit, invictum; qui invictus ſit, eum res humanas deſpicere, atque infra ſe poſitas arbitrari: deſpicere autem nemo poteſt eas res; propter quas ægritudine affici poteſt. Ex quo efficitur, fortem virum aegritudine nunquam affici.*

Annot. Hac argumentandi ratione multum item uſus eſt Socrates, quem imitati ſunt Stoici.

b. Sunt ſane utiliſſimæ progreſſiones hujus generis minutæ non tantum ad concluſionum amplicationem, ubi rebus jam probatis multæ argumentationes in unam quaſi catenam nervoſe coacervantur, ſed ſæpe in ipſo etiam curſu orationis ad demonſtrandum, quo modo ex parvis initiis maxima bona aut mala conſequantur. Sic Papirius impunito Fabio peſſundari diſciplinam militarem probat apud Liv. l. 8. c. 34. *Non miles centurionis, non centurio tribuni, non tribunus legati, non legatus conſulis, non magiſter equitum dictatoris pareat imperio; nemo hominum, nemo Deorum verecundiam habeat; non edicta Imperatorum, non auſpicia obſerventur &c.*

c. At genus hoc argumentandi, dum ſenſim & minutim multa coacervat, facile delabitur in fallaciam, & laqueos reſpondenti parat, niſi magna circumſpectio adhibeatur, ne aut in ſingulis propoſitionibus, aut in earum nexu

ambi-

ambigui aliquid & vitii hæreat. Hujus generis eſt Sorites; quo Temiſtocles de filio ſuo nondum trienni luſiſſe fertur: *Meus filius imperat matri, illa mihi, ego Athenienſibus. Athenienſes Græciæ, Græcia Europæ, Europa toti orbi: ergo filius meus imperat toti orbi.* Talis eſt item ille alter fallax & lubricus: *Certum eſt, bibliopolam multos ſæpe evolvere libros; qui multos libros evolvit, multum ſæpe ſtudet, qui multum ſtudet, procul dubio fit doctiſſimus; qui autem factus eſt doctiſſimus, poteſt cum laude omnes ſcientias profiteri; igitur Bibliopola in Academia omnes artes docere poteſt.*

F. *Collectio.*

a. Collectio eſt *argumentatio quinque partibus conſtans paullulum a ratiocinatione diverſa, a qua forte non niſi partium inter ſe devinciendarum ratione diſtat.*

Annot. Nihil meminere antiqui præceptores hujus argumentationis, recentiores plerique auctores graviſſimi commemorant, & ad uſum frequentiſſime traducunt.

b. Partibus hæc collectio oratoria conſtat omnino quinque: 1. *Propoſitione.* 2. Propoſitionis *Ratione.* 3. Rationis *Confirmatione* 4. Confirmationis *Exornatione.* 5. *Concluſione.*

Annot. Propoſitio ex ſyllogiſmo aliquo ad argumentationis iſtius uſum ea decerpi ſolet, quæ minus nota eſt, ſive illa Major ſit, aut Minor. Concluſio autem eum Propoſitione eadem ſit oportet.

c. Ar-

c. Argumentatione hac totas Ciceronis in Catilinam II. & III. orationes pertractatas absolutasque ajunt. Istum fere in modum expressa est tertia.

1. *Propositio.* Hic dies, quo oppressa est conjuratio, supplicatione Deorum est celebrandus. *c. I. Orat.*

2. *Ratio.* Quia Cicero hodie rempublicam prope deletam conservavit. *eod 1. cap. Nam totius urbis.*

3. *Confirmatio.* Nam conjurationem tectissimam manifestis indiciis deprehendit. *c. 2. & seqq.*

4. *Exornatio*, seu *Amplificatio ab Adjunctis.* Idque factum est non sine Deorum immortalium nutu, & brevi tempore, & sine internecione civium, & a consule togato.

5. *Conclusio.* Hic ergo dies supplicatione celebrandus.

d. Ad formam eamdem, præcipue si in facilioribus quibusdam thematis experimentum sui facere jubebitur juventus, miram sibi ad reliquas argumentationes rite tractandas comparabit promptitudinem. Sit proinde aliud unum adhuc thema:

1. *Propositio.* Turpis est maledicentia de absentibus.

2. *Ratio.* Quia charitatem principem Christianorum virtutem graviter lædit.

3. *Con-*

3. *Confirmatio*: Offendiculum enim præsentibus offert; absentes læsos autem ad vindictam provocat.

4. *Exornatio* seu *Amplificctio a pari.* Qui rem absenti dolo malo eripit, graviter lædit, & longe magis, qui famam acerbe rodit.

5. *Conclusio.* Ergo turpis est maledicentia.

Annot. Sunt equidem præterea nonnullæ argumentationum species, quæ ex sophistarum græcorum scholis ad nostras propagatæ sunt, ut *Crocodilus.* Propositiones *mentientes*, & reliquæ *inexplicabiles* dictæ, quarum uti nullus in scholis, imo ne extra scholas quidem hodie amplius perseverat usus,. sic de earum doctrina juventuti proponenda non laboramus. Quodsi tamen quem incessat cupiditas, illa etiam argumentationum genera propius cognoscendi, is adeat doctissimi Facciolati uberrimos in Acroasibus commentarios, & fontes ab eo coronatos.

CAPVT II.

De Motu.

a. Altera Inventionis pars, quæ maximi sane momenti est, ad inflammandum flectendumque auditorem, verbo: ad motus faciendos pertinet. Cum enim affectu magis plerumque ducantur homines, quam ratione, juxta verissimum illud Medeæ: *Video meliora proboque,*

dete-

deteriora ſequor; omnis huc & prope tota conferenda eſt oratori cura.

b. Non dilucidius explicari ullo pacto poſſit, quæ iſta inventionis parte ſingillatim doceri continerique debeant, quam ipſius Ciceronis verbis l. Orator, c. 37. ubi ita ait: *Duo ſunt quæ bene tractata ab oratore, admirabilem eloquentiam faciant: quorum alterum eſt, quod Græci* Ethicon *vocant, ad naturas, & ad mores, & ad omnem vitæ conſuetudinem accommodatum, alterum, quod iidem* Patheticon *nominant, quo perturbantur animi & concitantur, in quo uno regnat oratio. Illud ſuperius come, jucundum, ad benevolentiam conciliandum paratum; hoc vehemens, incenſum, incitatum, quo cauſæ eripiuntur,*

c. Naſcitur vero hinc ſponte ſua diviſio in partes duas, quæ ad motum faciendum concurrunt, in *Ethicon*, inquam, ubi de moribus, & *Patheticon*, ubi de affectibus tractandum erit.

§. I.

De affectibus oratoriis.

a. Affectus eſt *motus animi ex opinione boni vel mali ortus*, vel ut clarius aliqui: *Eſt quidam animi impetus, quo impellimur vehementius ad aliquid vel appetendum vel adverſandum.*

b. Non una eademque ratione affectus a philoſophis & oratoribus conſiderantur; primi namque

que affectus ut materiam, unde virtutes quæque eminentiores aut vitia exurgant; posteriores autem ut instrumenta suasionis & incitamenta flexionis spectant, tranctantque.

c. Affectus omnes cum Stoicis ad quatuor coarctarunt nonnulli sic, ut duos circa bonum ponerent, nempe *spem* circa bonum futurum, & *gaudium* circa bonum præsens; duos autem item circa malum; nempe *metum* de malo futuro, & *tristitiam* de malo præsenti. Verum ex inspectione solertiori interiorique hominum longe plures enumerant traduntque hodierni tum philosophi, tum oratores.

d. Ne in arte affectuum ciendorum, regendorumque vastissima & prope infinitia justo prolixiores simus, aliquorum solum affectuum tractandorum præcepta tironibus exponenda suscipimus, unde facile ad quoscunque transferent alias, quod sibi usui futurum est. Delegimus autem affectus: *Amorem*, *Odium*, *Lætitiam*, *Aegritudinem*, *Spem*, *Metum*, *Pudorem* *Iram*, *Indignationem*, *Aemulationem*, *Contemtum*, *Misericordiam*. Jam ad singula.

A. *Amor.*

a. Amor est *Affectus, quo alteri alicui, non nostra, sed ipsius causa bene volumus.*

Annot. Amor, si mutuus sit inter duos, amicitia nominabitur; *si* autem *amorem*, ut ait Cicer. de Natur. Deor. *ad fructum nostrum referemus, non ad illius*

lius commoda, quem diligimus; non erit ista amicitia, sed mercatura quaedam utilitatum suarum.

b. Excitatur amor 1. virtute aliqua excellenti & rara, ut: animi magnitudine, sapientia, fortitudine, 2. virtutibus, quas sociales vocant: candore, comitate, modestia, innocentia, & morum præcipue similitudine; 3. beneficientia & liberalitate, 4. amore mutuo juxta notum illud apud Senecam: *Si vis amari, ama:* 5. Oris ac corporis dignitate cum virtute conjuncta, *vel sola virtus*, ut est apud Ciceron. *quam ardentes amores excitaret sui, si videretur.*

Annot. Erit igitur oratoris, qui effectum amoris excitare desiderat, ut has amoris caussas, aut earum saltem, prout res tulerit, aliquas in eo inesse ostendat, & quidem vivis coloribus ostendat, si quem amandum proponit.

c. Amorem populi Romani sibi ipsi colligere nititur Cicero amorem suum gratumque animum in illum declarando Philipp. 6. c. 6. *An ego non provideam meis civibus? non dies noctesque de vestra libertate, de reipublicæ salute cogitem, quid enim non debeo vobis, Quirites? quem vos a se ortum hominibus nobilissimis, omnibus honoribus prætulistis? - - - Quamobrem consilio, quantum potero excubabo, vigilaboque pro vobis. Etenim quis est civis, præsertim hoc gradu, quo me vos esse voluistis, tam oblitus beneficii vestri, tam immemor patriæ, tam inimicus digni-*

dignitatis suæ, quem non excitet, non inflammet tantus vester iste consensus? &c.

B. *Odium.*

a. Odium est *affectus, qui alteri alicui ipsius caussa male volumus.*

b. Affectus iste priori contrarius, contrariis etiam ex caussis tantum suscitari poterit; videlicet commemorando vitia, vel 1. nocentiora, ut: injustitiam, fraudulentiam, crudelitatem, rapacitatem. Vel magis invidiosa, ut: audaciam: contumaciam, superbiam cum contemtu conjunctam. 3. Vel denique viliora, ut: impudicitiam, intemperantiam, ignaviam, rusticitatem &c.

Annot. Affectus iste oratores christinianos penitus dedecebit, nisi forte ad coercendos improbos, & reipublicæ ac bonis moribus exitiosos adhibeatur.

c. Mirificum ac prorsum in genere suo excellens exemplum suppeditat Tacit. in vit. Agricolæ c. 30. ubi Galgacus orator apud Britannos suos odium adversus Romanos accendit: *Infestiores Romani, quorum superbiam frustra per obsequium & modestiam effugeris: raptores orbis, postquam cuncta vastantibus defuere terræ, & mare scrutantur: Si locuples hostis est, avari: si pauper, ambitiosi: quos non oriens, non Occidens satiaverit: soli omnium opes atque inopiam pari affectu concupiscunt: auferre, trucidare, rapere falsis nominibus imperium; atque*

ubi solitudinem faciunt, pacem appellant. Liberos cuique ac propinquos suos natura carissimos esse voluit; hi per dilectus, alibi servituri auferuntur. Conjuges, sororesque, etsi hostilem libidinem effugiant, nomine amicorum atque hospitum polluuntur, Bona fortunasque in tributum egerunt, in annonam frumentum, Corpora ipsa ac manus, silvis ac paludibus emuniendis, verbera inter & contumelias conterunt. Nata servituti mancipia semel væneunt, atque ultro a dominis aluntur: Britannia servitutem suam quotidie emit, quotidie pascit.

C. *Lætitia.*

a. Lætitia definitur *suavis motus animi, natus ex inopinato bono præsente.*

Annot. Si motus iste animi placidus & constans sit, *gaudium* appellatur, si vero effusus & levior, tum illa *lætitia* gestiens vel nimia dicetur, ut tradit Cic. L. 4. Tuscul. QQ. c. 6.

b. Excitatur affectus iste vel 1. amplificando magnitudinem boni, quod obtentum est; vel 1. comparando & ostendendo præsentia prioribus potiora esse; vel denique 3. descriptionibus amœnis vivisque; ut: cum pompæ, populi occursus, acclamationes exhibentur, id quod præsertim in celebritatibus & gratulationibus publicis pacis, victoriæ &c. locum habet.

c. Exemplum affectus istius præ ceteris extans habetur apud Ciceron. in Pison. c. 22. *Unus*

ille

ille dies mihi immortalitatis instar fuit, quo in patriam redii, quum senatum egressum vidi, populumque Rom. universum; quum ipsa mihi Roma prope convulsa sedibus suis, com plectendum conservatorem suum procedere visa est: quae me ita accepit, ut non modo omnium generum, aetatum, ordinum, omnes viri ac mulieres, omnis fortunae ac loci, sed etiam moenia ipsa viderentur, & tecta urbis ac templa laetari.

D. *Ægritudo.*

a. Aegritudo est *dejectio animi nata ex inopinato malo praesente.*

b. Affectus hic priori contrarius commovetur etiam contrariis priori modis, ac proinde 1. amplificando magnitudinem mali, quod quis sustinet, & boni, quod amisit; 2. comparando cum pristina felicitate, & cum gaudio inimicorum; 3. ex vitae taedio & desperatione fortunae melioris.

c. Exemplum insigne exstat, apud Ciceron. in Verr. l. 4. c. 34. ubi Verris crimen ablatione simulacrae Dianae commissum ex dolore hominum magis odiosum reddit: Sublatum est *magno cum luctu & gemitu totius civitatis, multis cum lacrimis & lamentatione virorum mulierumque omnium. Quod quum ex oppido exportaretur, quem conventum mulierum factum esse arbitramini? quem fletum majorum natu? quorum nonnulli etiam illum diem memoria tenebant, quum*

illa eadem Diana Segestam Carthagine revecta, victoriam populi Rom. reditu suo nuntiasset. Quum dissimilis hic dies illi tempori videbatur? Tum imperator populi Rom. vir clarissimus, deos patrios reportabat Segestanis, ex urbe hostium recuperatos: nunc ex urbe sociorum prætor ejusdem populi turpissimus, atque impurissimus, eosdem illos deos nefario scelere auferebat.

E. *Spes.*

a. Spes definitur *jucundus animi motus ex opinione imminentis boni ortus.*

Annot. Spes ultimum sane est hominum solatium, & ad res gerendas incitamentum: hinc ad consolandum incitandumque applicatur. Quum indubitata autem & timoris omnis expers est spes, *confidentia* vocatur.

b. Concitabimus spem, si 1. obtineri posse bonum & alias jam obtentum ostendemus; 2. si adminicula certa obtinendi boni non in genere solum sed singillatim præsto esse monstrabimus, & 3. si obstacula spei nostræ extenuabimus.

Annot. Ad spem infringendam contraria omnia præstanda esse res ipsa loquitur.

c. Ita nimirum Cicer. Philip. 10. c. 6. a potentia populi Romani & virtute ducis Bruti Antonium posse vinci spem facit: *Tenet populus Romanus Macedoniam, tenet Illyricum, tuetur Græciam, nostræ sunt legiones, nostra levis armatura*

matura, noster equitatus, maximeque noster est Brutus, semperque noster, cum sua excellentissima virtute natus reipublicæ, tum fato quodam paterni, maternique generis, & nominis &c. Neque minus illustre est aliud exemplum suscitati istius affectus in oratione Galgaci apud Tacit. in vita Agricolæ c. 32. *Ne terreat vanus aspectus & auri fulgur atque argenti, quod neque tegit, neque vulnerat. In ipsa hostium acie inveniemus nostras manus, recordabuntur Galli priorem libertatem: deserent illos ceteri Germani, tanquam nuper Usipii reliquerunt. Nec quidquam ultra formidinis: vacua castella, senum coloniæ, inter male parentes & injuste imperantes ægra municipia & discordantia.*

F. *Metus.*

a. Metus est *motus animi refugientis ab inopinato malo impendente.*

Annot. Si cum ratione a malis declinetur, vocabitur *cautio*. Valebit autem mirabiliter metus, si quando illecebra bonorum non satis capientur auditores, sed præterea deterrendi erunt animi ab instituto, opera & consilio.

b. Metum incutiemus sequentibus argumentis: si 1. magnitudo & gravitas alicujus mali ob oculos ponatur, ut paupertatis, infamiæ, infelicis æternitatis; 2. si mali vicinitas imminensque periculum exaggeretur: & quasi oculis subjiciatur: si malum aut periculum commune & publicum ad privata singulorum in-

commoda traducatur, quibus fere ſemper magis commoveri ſolemus; 4. ſi metu inferentium malitiam, potentiam, inſidias; 5. eorum vero, qui ſimilia mala perpeſſi jam ſunt, miſeriam exaggeres.

c. Metus auditoribus non ſine efficacia adhibiti exemplar ex Tullio 2. in Calin. mutari poſſumus, ubi ita Orator: *Videor mihi hanc urbem videre lucem orbis terrarum, atque arcem omnium gentium, ſubito uno incendio concidentem. Cerno animo ſepultam patriam, miſeros atque inſepultos acervos civium. Verſatur mihi ante Oculos aſpectus Cethegi in veſtra cæde bacchantis. Quapropter de ſumma ſalute veſtra, populique Romani, de veſtris conjugibus ac liberis de fanis ac templis, de libertate ac ſalute Italiæ, deque univerſa republica decernite diligenter, ut inſtituiſtis, ac fortiter.*

G. *Pudor.*

a. Pudor eſt *ægritudo ob acceptum decus, vel ob metum accipiendi.*

Annot. Quemadmodum *Pudor* omnem turpitudinem & pravitatem adverſatur, ita pudori contraria *Impudentia* non tamen ſenſum honoris, ſed omnem omnino honeſtatem & virtutem projicit.

b. Pudoris affectus cieri poteſt per omnia ea, quæ dedecus aut infamiam adferre poſſunt. Talia ſunt: 1. fides e. g. amici prodita, mendacium; furta, ac occulta delicta in lucem

pro-

protracta; 2. facta, quibus timiditas, abjectus & neglectus animus, ignorantia, indicantur; 3. quæ ſunt contra decorum cujusque ætatis, muneris, conditionis, dignitatis.

c. Tanto autem pudor exiſtet acrior, quanta graviores honeſtioresque fuerint, apud quos nunc pudere decebit, cum diu inter integerrima eorum exiſtimatione quis fruitus fuerit; aut vero etiam ſi coram inimicis, ſeveris, aut garrulis hominibus pudefieri oporteat.

d. Refutat graviſſime Cicero ex hoc affectu pudoris excitato eos, qui voluptatem defendebant, Paradox. 1. *Quæ quidem mihi vox pecudum videtur eſſe, non hominum. Tu, quum tibi ſive Deus, ſive mater, ut ita dicam, rerum omnium natura dederit animum, quo nihil eſt præſtantius, neque divinius: ſic te ipſe abjicies, atque proſternes, ut nihil inter te atque inter quadrupedem aliquam putes intereſſe, &c.*

Annot. Eſt alterius adhuc generis duplex pudor, unus ex *modeſtia* ortus, qui niſi immodicus erit, in laude ponetur; alter ex *imbecillitate* ac dedecoris formidati larva proveniens, qui per commemorationem damnorum, per praeclara exempla, per judicia gravium virorum, denique per ipſum improborum ſenſum, qui virtutem clam ſuſpiciunt & reverentur, multa vi expugnandus eſt.

H. *Ira.*

a. Ira eſt *dolor cum ulciſcendæ injuriæ cupiditate conjunctus.*

Annot. Affectus iſte rara extra vitium erit, niſi in improbos, aut legum, æquitatis, vel boni publici vindicandi cauſſa exardeſcat.

b. Commovetur affectus iſte injuriam amplificando ab adjunctis; 1. modi, quo illata eſt, ut; cum contemtu, cum ludificatione, conſilio certo non caſu, ſine fructu, lædendi tantum cauſſa, cum generis familiæque deſpicientia; &c. 2. perſonæ inferentis, ut: ſi homo abjectus honorato, inferior ſuperiori, præſentibus pluribus, ingratus bene merito intulit; 3. perſonæ læſæ, ut: in dignitate conſtituto, animo honoris amanti, jam antea exacerbato &c.

c. Ita Cicero pro Cœlio c. 24. iram populi Romani in Clodium accendere conatur, qui Metellum virum reipublicæ utiliſſimum veneno ſuſtulerat: *Pro Dii immortales! Cur interdum in hominum ſceleribus maximis aut connivetis, aut præſentis fraudis poenas in diem reſervatis? Vidi enim, vidi, & illum hauſi dolorem vel acerbiſſimum in vita, quum Q. Metellus abſtraheretur e ſinu gremioque patriæ; quumque ille vir, qui ſe natum huic imperio putarit, tertio die poſt, quam in curia, in roſtris, in republica floruiſſet, integerrima ætate, optimo habitu, maximis viribus eriperetur indigniſſime bonis omnibus atque univerſæ civitati &c.*

I. *In-*

I. *Indignatio.*

a. Indignatio eſt *dolor ob rei alicujus indignitatem conceptus;* ſcilicet: vel quia felix eſt, qui dignus ſolum eſt miſeria; vel quia miſer, qui dignus eſt felicitate.

b. Indignationem de felicitate indigni accendimus amplificando indignitatem talis hominis ob priſtinas vitæ ſordes, ob mores corruptos, ſuperbiam, inſolentiam; 2. amplificando felicitatem, opes, honores &c. 3. comparando cum dignioribus, meritis, virtute, &c. qui tamen contabeſcant &c.

Annot. Indignatio ſuper miſeria & infelicitate hominis digni meliore ſorte affinis eſt miſericordiæ, de qua mox infra.

c. Indignationis excitatæ exemplum occurrit apud Ciceronem in Vatin. c. 8. *Quæro illud etiam ex te: cogitarisne in illo tuo non regno ſed latrocinio, augur fieri in Q. Metelli locum? ut quicunque te aſpexiſſet, duplicem dolorem gemitumque ſuſciperet, & ex deſiderio clariſſimi & fortiſſimi civis, & ex honore turpiſſimi, atque improbiſſimi? Adeone captam hanc urbem atque everſam putares, ut augurem Vatinium ferre poſſemus.*

K. *Aemulatio.*

a. Aemulatio eſt *ægritudo animi ob bona alterius, quibus nos caremus, non quod ille habeat, ſed quod nos caremus.*

1. *Annot.* Aemulatio, quoniam virtutem induſtriamque acuit, maxime in laude ponenda eſt, valebitque in exhortationibus præſertim ad juvenes nobiles, & ſi qui ſunt excelſiore mente.

2. Opponitur æmulationi *invidia*, quæ eſt æmulatio & dolor in malam partem de bonis alterius non quod nos caremus, ſed quod ille habeat. Affectus homine quocunque indigniſſimus.

b. Aemulationem provocamus 1. exemplis majorum; 2. propoſita recte factorum laude, gloria, nominis immortalitate.

c. Ad hanc virtutem incendit Cicero Antonium Philipp. 1. c. 14. *Utinam Antoni, avum tuum meminiſſes! de quo tam multa audiſti ex me ſæpiſſime - - - - Quare flecte te quæſo, & majores tuos reſpice, atque ita guberna rempublicam ut natum eſſe te cives tui gaudeamus: ſine quo nec beatus, nec clarus quisquam eſſe omnino poteſt.*

L. *Contemtus.*

a. Contemtus eſt *affectus animi eos deſpicientis, qui nihil laude, ideoque nec æmulatione dignum habent.*

Annot. Eſt itaque affectus iſte æmulationi contrarius: atque eidem item, quamquam alia facie, oppoſitus.

b. Provocare ad contemtum ſolent: 1. defectus virtutis; animi, nervorum; 2. oſcitantia, ſegnities & incuria; 3. repræſentata probra

&

& dedecora, quæ factum aut omiſſionem conſequentur.

c. Tacitus L. 12. Annal. Claudium ſtupidum ſocordemque ex hoc fonte contemtui exponit: *Ipſe modo huc, modo illuc, ut quemque ſuadentium audierat, promptus — — Cui non judicium, non odium erat, niſi indita & juſſa.* Apud eundem Tacit. l. 14. Annal. Poppæa Neronem per contemtus affectum impellit; *Aliquando per facetias incuſare principem & pupillum vocare, qui juſſis alienis obnoxius, non modo imperii, ſed libertatis etiam indigeret.*

M. *Miſericordia.*

a. Miſericordia definitur: *Aegritudo ex miſeria alterius, præſertim immerito laborantis.*

b. Miſericordiæ excitandæ adminicula erunt: Si magnitudo miſeriæ conferatur cum fortuna priore florente; 2. malorum multitudo & gravitas proponatur, & 3. ab adjunctis variis perſonarum rerumque amplificetur. 4. Si præſentes ſiſtantur ipſi miſeri, aut imagines illorum ad vivum exprimantur per hypotypoſes &c. aut ſigna etiam miſeriæ oſtententur commiſeratione digna, e. g. veſtes cruentæ, vulnera &c.

c. Plures commiſerationis cauſſæ uno eodemque loco collectæ habentur apud Ciceron. pro Sext. c. 69. *Quod tantum eſt in me ſcelus?*

lus? quid tantopere deliqui illo die, cum ad vos indicia, litteras, confessiones communis exitii detuli? quum parui vobis? At si scelestum est amare patriam, pertuli pœnarum satis; eversa domus est, fortunæ vexatæ, dissipati liberi, raptata conjux, frater optimus incredibili pietate, amore inaudito, maximo in squalore volutatus est ad pedes inimicissimorum: ego pulsus aris, focis, diis penatibus, distractus a meis carui patria, quam, ut levissime dicam, certe texeram: pertuli crudelitatem inimicorum, scelus infidelium, fraudem insidorum &c.

d. Universe autem in quorumcunque affectuum tractatione oratores commendatum & serio inculcatum sibi habebunt:

1. Ut mores audientium (de quibus mox infra) diligenter attendantur; sic juvenes facile ad iram, — senes ad misericordiam, — viri graves & docti; item agrestes animi tantum ad vehementiores affectus commovebuntur.

2. Nunquam in affectum graviorem assurgendum est, nisi eo, quod assumtum est, rite prius probato & amplificato. Convicto intellectu prona erit voluntas.

3. Affectus ipse brevior potius, quam justo productior sit, ne & fatigetur, & vim sibi intentari animadvertat auditor. Memorem certe sæpius esse convenit oratorem noti

noti illius: *Lacrima nil citius arescit;* ac propterea affectus, licet vehementissimi, ad brevitatem coercendi erunt.

4. Post orationis alicujus partes majores breves recapitulationes & affectus leniores dextre subjunguntur; in Peroratione vero arietes omnes ad movendum sunt adhibendi.

5. In primis autem orator semper & ubivis ante oculos habeat Horatianum illud: *Si vis me flere, dolendum est primum ipsi tibi: tunc tua infortunia lædent.* Id ipsum, quod inculcat apud Ciceronem (de Orat.) Antonius: *Ut omnes motus, quos orator adhibere volet judici, in ipso oratore impressi atque inusti esse videantur - - - Neque ad misericordiam adducetur, nisi ei tu signa doloris tui verbis, sententiis, voce, vultu, collacrymatione denique ostenderis.*

f. Quemadmodum autem Oratoris est suscitare, affectus, eosque accendere, atque exaltare, ita ad ejusdem artem pariter & prudentiam pertinebit, cum res & circumstantiæ petent illos ipsos affectus rursum mitigare aut penitus comprimere. Dupliciter id obtineri posse affirmant:

1. Iis omnibus rationibus, quas morum Philosophia suggerit; ut si dicas e. g. Hominis esse, solam rationem ducem sequi; - - -

affe-

affectum quemlibet coecum esse — Stultorum esse, imo & bestiarum proprium, agi affectionum impetu &c.

3. Plerumque tamen oratores non tam philosophantur, quam affectum unum alio expellunt aut mitigant: Sic. l. 4. ep. 5. Sulpitius Ciceroni auctor est ad leniendum dolorem ex Tulliolæ filiæ obitu conceptum; — ut mentem avocet ad mala publica; — ad urbium exitia, in quorum comparatione nihil sit unius mulierculæ jactura; — ad decorum ipsiusmet Tulii — — — ad famam sapientiæ illius &c. Sic item Cicero Catilin. 4. c. 6. miserationem erga conjuratos opprimit alia miseratione erga cives & patriam: *Non atrocitate animi moveor (quis enim me mitior?) sed singulari humnaitate & misericordia. Videor enim hanc mihi urbem videre lucem orbis terrarum, atque arcem omnium gentium subito uno incendio concidentem. &c. &c.*

§. II.

De morbis oratoriis.

a. Aristoteles, & ex eo Cicero, conceptis verbis præcipiunt, orationem moratam esse debere.

b. Est vero morata oratio ea: quæ & oratoris & auditorum, & eorum, de quibus agit orator, moribus commensa est.

Annot.

Annot. Patet hinc, omnes præceptiones hujus loci proprie ad prudentiam oratoriam pertinere.

c. Trifariam distribuitur doctrina de moribus, quorum alii oratorem, alii auditorem, alii denique eos, de quibus agitur, respiciunt, qui universe & singillatim, accurate & inviolabiliter præ oculis habendi sunt.

1. Mores *Oratoris*, qui in omni ejus oratione relucere debent, sunt in primis

a. *Prudentia*; per hujus enim existimationem orator fit fide dignus in oculis nostris.

b. *Probitas*; per hanc enim ab omnis fraudis, injuriæ, & vexationis inferendæ suspicione liberatur.

c. *Benevolentia*; qua opinionem sibi conciliat, se auditoribus suis publice ac privatim prodesse velle.

d. *Modestia* cum comitibus suis: *pudore, lenitate, comitate*; quæ ex verbis, voce, vultuque dicentis apparere debet

2. Mores *Auditorum*, (quo nomine eorum opiniones, sensus, affectionesque complectimur) fere secundum ætates & fortunam variam hominum varii esse solent; aliis enim moribus & ingenio est juvenis, alio senex, dives alio, iterum alio pauper. &c. Itaque

a. *Mo-*

a. *Mores juvenum.* Hæc ætas cupit ardenter in his ipsis tamen vel in horas mutabilis; præciptis, sed placabilis iræ; prodigi, quia egestatem non experti; candidi & creduli; propensi ad misericordiam; verecundi, cum se erraſſe, elati, cum recte fecisse intelligunt; gaudent æqualium consuetudine, ludis, jocis; temere & jungunt amicitias & dissolvunt; nihil mediocre, nimis amant, nimis odere. &c.

b. *Mores senum.* Sunt hac ætate homines cupiditatibus mitioribus: lenti, difficiles, queruli, timidi, cauti, suspicaces, vitæ amatores, ad rem minus attenti, pauca moliuntur; præterita laudant, spernunt præsentia, officiorum exactores, facetias ac jocos exosi, verbosi ipsi & loquaces &c.

c. *Mores mediæ ætatis.* Hi inter utramque priorem ætatem medium tenent, nec præfidentes, nec timidi, sed fortes, non nisi ratione minus creduli: nec prodigi, nec parci, sed rebus suis intenti, pericula non appetunt, nec fugiunt; in rebus gerendis ab impetu æque ac lanquore absunt, & fere mediocritatem sectantur.

d. *Mores nobilium.* Sunt isti honoris ac gloriæ maxime studiosi, ad recte facta majo-

majorum exemplis incitantur, nisi degeneres sint & ignavi; despiciunt non solum ignobiles, sed etiam homines novos, qui primi ex gente sua honores consecuti sunt; inique ferunt, aliis se postponi &c.

e. *Mores divitum.* Ostentatores sunt, præsertim divitias nuper consecuti, contumeliosi, arrogantes, ut qui in nummis sibi habere videntur omnia, nec amicorum egere: delicati, fastidiosi; longe pejores adhuc, si qui ex humili nuper evasere: recte Plutus divitiarum Deus apud Lucian. in Tim. sic loquitur: *Clam una mecum ingreditur: fastus, vecordia, jactantia, mollities, contumelia, fraus aliaque sexcenta.* Paupertas vero ait: *Vos labor & sapientia reliquique sequimini me,* nempe; tolerantia, fortitudo, modestia &c.

f. *Mores potentium.* Ob auctoritatem, qua valent, multum cum divitibus conveniunt; honoris vero inde cupidiores, rebus magnis intenti leviora studia negligunt, magnitudinem modestia temperant, quoque majores sunt, hoc faciliore accessu &c. &c.

g. *Mores ignobilium, pauperum, impotentium* &c. superioribus oppositi, ex contrariorum natura facile cognoscuntur.

2. Mores hominum, de quibus agit orator, fere ad hæc capita revocari possunt; aut enim laudat & defendit, aut imitatur mores: & dicendo pingit, quos characteres vocant. Hinc duo existunt hic morum genera caute circumspicienda:

a. Si quem laudare ac defendere instituit Orator, ut clienti conciliet animos auditorum.

1. Illi solum mores exprimendi sunt, qui valent ad parandam existimationem & benevolentiam.

2. Hi ipsi mores consentire debent cum vita ante acta, ceterisque ejus dictis, factis, fortuna, ingenio, ætate &c.

3. Si quæ forte occurrant, quæ minus recta videri possint, flectantur in bonam partem, tegantur, mitigentur. Sic ex avaro fiet parcus & frugi; ex prodigo liberalis, &c.

4. Quid sui de eo senserint, sentiantque, huc itidem ad conciliandum favorem referendum erit.

Annot. Si vituperandum accusandumque sit facile ex contrariorum natura superioribus quatuor modos oppositos orator reperiet quibus auditorum animos alienet, ac contemtum, odium, invidiam reo pariat.

b. Cha-

b. Characteres ſunt hominum imagines ex indole, ingenio, conſuetudine, vita, factisque deſcriptæ. Bifariam diſpeſcuntur in ſingulares, & generales.

1. *Singulares*, aliter etiam Hiſtorici vocati, ſingulares perſonas eleganter depingunt ſecundum hiſtoricam aut veritatem aut veriſimilitudinem.

a. *Annot.* Ut imagines iſtæ emineant coloribusque ſuis percellant, aliquid ſingullare illis inſit, ut: inſignis ſeveritas, aut benignitas; aſtutia vel ſimplicitas.

b. Imagines populorum ex iis, quæ in plerisque eveniunt, deſumuntur; hinc dicti ſunt *leves* Athenienſes, *duri* Lacedæmonii, *molles* Aſiatici, *perfidi* Pœni &c.

2. *Generales* characteres, etiam factitii ſeu fictitii dicti, ii ſunt, qui ſimul collecti in nullo hominum ſunt, ſed diſperſi tantum per multos reperiuntur. Dicti ſunt fictitii, quod perſona una fingatur, in qua mores hujusmodi omnes ſimul collecti conſiderantur. Ita Homerus *mores iracundiæ in* Achille, *vafritiei* in Ulyſſe; *ſapientiæ* in Neſtore effinxit. En exempla utriusque generis characterum:

Character ſingularis eſt Catilinæ ex Salluſtio de bello Catilin. c. 5. *L. Catilina nobili genere natus, fuit magna vi, &*

animi, & corporis, sed ingenio malo pravoque. Huic ab adolescentia bella intestina, cædes, rapinæ, discordia civilis grata fuere. Corpus patiens inediæ, algoris, vigiliæ, supra quam cuique credibile est. Animus audax, subdolus, varius; cujuslibet rei simulator, ac dissimulator; alieni adpetens, sui profusus; ardens in cupiditatibus: satis eloquentiæ, sapientiæ parum. Vastus animus immoderata, incredibilia, nimis alta semper cupiebat — — — Is maxime adolescentium familiaritates adpetebat, eorum animi molles & ætate fluxi, dolis haut difficulter capiebantur. Nam, uti cujusque studium ex ætate flagrabat, aliis canes, aliis equos mercari; postremo neque sumtui parcere, dum illos obnoxios fidosque faceret.

Idem Annibalis ex Livio lib. 21. *Hamilicarem viventem redditum sibi, veteres milites credere; eundem vigorem in vultu, vimque in oculis, habitum oris, lineamentaque intueri. Dein brevi effecit, ut pater in se minimum momentum ad favorem conciliandum esset. Nunquam ingenium idem ad res diversissimas, parendum atque imparandum, habilius fuit. Itaque haut facile discerneres, utrum Imperatori, an exercitui carior esset;*

nequc

neque Asdrubal alium quemquam præficere malle, ubi quid fortiter ac strenue agendum esset, neque milites alio duce plus confidere, aut audere. Plurimum audaciæ ad pericula capessenda, plurimum consilii inter ipsa pericula erat: nullo labore aut corpus fatigari, aut animus vinci poterat. Caloris ac frigoris patientia par: cibi potionisque desiderio naturali, non voluptate modus finitus: vigiliarum somnique nec die, nec nocte discriminata tempora: id quod gerendis rebus superesset, quieti datum ea neque molli strato, neque silentio arcessita. Multi sæpe militari sagulo opertum humi jacentem inter custodias, stationesque militum conspexerunt: vestitus nihil inter æquales excellens: arma atque equi conspiciebantur: princeps in proelium ibat, ultimus conserto proelio excedebat. Has tantas viri virtutes ingentia vitia æquabant: inhumana crudelitas, perfidia plus quam punica; nihil veri, nihil sancti; nullus Deûm metus; nullum jusjurandum; nulla religio.

Character generalis est osoris hominum apud Lucian. in Timone, ubi sic loquens inducitur: *hæc autem lege statuta sunt: quoad vivam, cum nemine congredi, notum habere neminem, omnes*

nes despicere. Amicus quidem, vel hospes, vel sodalis, vel ara misericordiæ, meræ nugæ: & lacrimantis misereri, aut egenti subvenire, legis sit violatio, & morum dissolutio: vita vero solitaria ut lupis, & unus Timoni amicus Timon: at ceteri omnes inimici & insidiatores. Labes sit, ullum alloqui; ac si aliquem tantum videro, dies ater esto: mihi nullum discrimen denique eos inter & statuas marmoreas, aut æreas &c.

PARS III.

DE DISPOSITIONE.

CAPUT I.

De partibus orationis & earum ordine universe.

a. Postquam hactenus fontes & elocutionis & inventionis oratoriæ perſcrutati ſumus, ex quibus & de iis, quæ eloquamur, & de ratione, qua eloquamur, didicimus, ſupereſt ut nunc de ordine, quo eloquendum ſit, agamus, atque ita partem tertiam oratoriæ, quam diſpoſitionem vocant, pertractemus.

b. Eſt vero diſpoſitio a Cicerone definita: *rerum inventarum in ordinem diſtributio:*

c. Cumque Elocutio pariter & inventio hactenus in iis ſolum verſarentur, quæ ad fidem faciendam & ad motus excitandos valerent; diſpoſitio nunc earum rerum non minus neceſſaria eſt, quam inſtructio exercitus ad pugnam & victoriam, quam lapidum coementique apta compoſitio ad opportunitatem & elegantiam ædificii.

d. Sane enim ubicunque ordo adeſt, res audiuntur libentius, audita intelliguntur facilius, & intellecta diutius inhærent. Ordine hoc

Antonius Orator Romanus tantam ſibi laudem peperit, quod Cicer. de Orat. l. 2. c. 42. notavit, ut Catulus de eo diceret: *Ordine & diſpoſitione argumentorum tu mihi ſemper Deus videri ſoles.*

e. Diſtributio porro hæc oratoria duplex eſt; alia *rerum dicendarum;* alia *partium orationis.*

1. Acriter enim meditandi tibi thema tuum quodcunque & accuratius inſpicienti tanta nonnunquam ſe offeret rerum huc pertinentium multitudo, ut copia opprimi potius videaris, quam penuria laborare. Sed quoniam, ut fit, mala juxta & bona, eaque ſine lege, ordine, aut numero obvenient, neceſſaria ante omnia erit *electio.*

 a. Hac electione vana, falſa, vulgaria a veris, ſolidis, novis, illuſtribus &c. diligenter ſegregabis, atque in rem tuam loco, tempori, perſonis &c. convenientia tantum deliges;

 b. Delecta porro ad eam orationis partem relegabis, ubi futura ſunt opportuniſſima. Certe namque melius valebunt inventorum tuorum alia ad concludendum inflammandumque, alia ad exordiendum & docendum, ad delectandum erunt alia aptiora.

Annot. Clarum eſt hinc; cum firma argumenta conquirere, amplificare, & verborum ornatu conveſtire ingenii ſit; apte ea collocare, & ad ſuum quæque locum ordinemque

que referre, quæ conquiſita erunt, judicii opus eſſe & prudentiæ.

2. Diſtributionem partium majorum orationis alicujus præceptores Oratoriæ ab ipſa natura accurate obſervata didicerunt, & diſcipulis tradiderunt.

a. Natura enim ſola duce, cum impetrare quid volumus, aut pertractandum eſt negotium, 1. conciliamus animos eorum, quibuscum agimus, vel a quibus impetrare volumus; 2. tum exponimus id, quod deſideramus aut petimus; 3. momenta deinde & rationes adferimus, quibus concedendum eſſe; quod contendimus, demonſtramus; 4. inſtamus denique, precamur, promittimus, motus varios adhibemus, ut conſenſum extorqueamus.

b. Itaque ars ſecuta naturam ducem quatuor orationis artificialis partes conſtituit ſcilicet; *Exordium*, *Narrationem*, *Confirmationem*, & *Perorationem*.

Annot. Sunt, qui ſex malint eſſe partes orationis, videlicet; *Exordium*, *Diviſionem*, *Narrationem*, *Confirmationem*, *Confutationem*, & *Perorationem*. Verum recte æſtimantibus continuo apparebit; Diviſionem cum Propoſitione ad Exordium; Confutationem vero ad Confirmationem tanquam partes revocari, ac proinde quatuor tantum ſtatuendas eſſe juſtæ orationis partes.

 c. Par-

e. Partium harum orationis duas in fide facienda verſari oportet, *Narrationem* ſcilicet & *Confirmationem*; partes autem aliæ duæ videlicet *Exordium* & *Peroratio* ad motus excitandos referendæ erunt. De quibus mox ordine.

CAPUT II.

De Exordio, & quæ ad illud referuntur.

§. I.

De Exordio.

a. Exordium eſt ingreſſus in orationem, ſeu prout definitur a Tullio: *Pars orationis auditorum animos idoneæ comparans ad reliquam dictionem.*

b. Duorum generum eſſe ſolent exordia, aliud enim *juſtum*, *legitimum*, vel etiam temperatum appellatur; aliud autem *abruptum*: ex abrupto inchoans, & vehemens dicitur.

1. *Exordium ex abrupto* illud eſt, quo orator ſine prævia auditoris præparatione quaſi impetu quodam abreptus auditores repentino & inopinato motu percellit, & per vehementem quemdam affectum ad rem ipſam aggreditur. Tale eſt celebratiſſimum illud Exordium Ciceronis in Catilinam:

Quous-

Quousque tandem abutere Catilina patientia nostra? &c. &c.

Idem illud apud Livium l. 23. C. Mutii Scævolæ Porſenam alloquentis : *Romanus ſum civis, C. Mutium vocant. Hoſtis hoſtem occidere volui, nec ad mortem minus animi eſt, quam ad necem fuit. Et facere & pati fortia Romanum eſt. Nec unus ego in te hos animos geſſi. Longus poſt me ordo eſt idem petentium decus. Proinde in hoc diſcrimen, ſi juvat, accingere, ut in ſingulas horas capite dimices tuo. Ferrum hoſtemque in veſtibulo habes regiæ. Hoc tibi juventus Romana bellum indicimus. Nullam aciem, nullum proelium timueris uni tibi & cum ſingulis res erit.*

Deinde illud etiam apud Liv. l. 2. c. 21. Veturiæ matris Romanæ filium Coriolanum ita alloquentis : *Sine, priusquam complexum accipio, ſciam, ad hoſtem an ad filium venerim : captiva, materne in caſtris tuis ſim? In hoc me longa vita, & infelix ſenecta traxit, ut exulem te, deinde hoſtem viderem? Potuiſti populari hanc terram, quæ te genuit, atque aluit? Non tibi, quamvis infeſto animo, & minaci perveneras, ingredienti fines ira cecidit? non cum in conſpectu Roma fuit, ſuccurrit : Intra iſta moenia domus, ac penates mei ſunt, mater, conjux, liberique?* Ergo ego *niſi peperiſſem, Roma non oppugnaretur*

tur, nisi filium haberem, libera in libera patria mortua essem?

Annot. Hoc genus exordiorum usurpari tantum potest vel in summa aliqua gratulatione & lætitia, vel in summa quapiam offensione aut indignatione; quia in his affectibus orator extra se rapi quodammodo videtur.

2. *Exordium legitimum* est illud: quo auditorum animi artificiosa quadam verborum conciliatione præparantur ad id, quod deinceps sequi necesse est.

c. Exordii legitimi triplex est officium, nempe: ut reddat auditorem *benevolum*, *attentum*, *docilem*, hoc si præstat orator, animum sine dubio auditoris præparavit ad futuram vim orationis.

1. *Benevolus auditor* reddi solet ex quadruplici capite:

a. *A persona oratoris*, si orator modestiam, pudorem, probitatem, & ingenuum quemdam candorem ore potius quam verbis præ se ferat. De meritis suis prædicare, nisi cogente prudenti necessitate, & parcissime ac sine omni umbra arrogantiæ non audeat. Ita fecit Tullius pro Archia suo quondam magistro.

b. *Persona Adversariorum*, si dicamus vel 1. nos nimiam eorum eloquentiam, gratiam aut potentiam vereri; 2. aut si eos

in

in odium & invidiam adducamus commemoratione vitiorum, quibus laborant. Primum fecit Cic. pro Quintio, alterum pro Dejotaro.

c. *A perſona Auditorum*, ſi 1. eis confidere videatur orator; 2. ſi ſuam cauſſam cum utilitate eorum conjungat; 3. Si denique modeſte & ſine ſpecie adulationis eorum virtutes commendet. Primum fecit Tull. pro Roſcio Amer; ſecundum paſſim in Philippicis; tertium pro Milone.

d. *A perſona Clientis*, ſi vel illius innocentia virtusque commendetur, vel calamitas illius, amicorum inopia & ſolitudo deploretur. Quod iterum egregie præſtitum a Cicerone pro Roſcio Amerino.

Annot. De benevolentia concilianda multum laborandum non erit, ſi cauſſa per ſe honeſta eſt; ſed tantum ſi paradoxa aut dubia ſit.

2. *Attentio Auditoris* conciliatur triplici fere via:

a. *Petendo* aperte, ut ſtudioſe attendere velint; id quod Cicero frequenter fecit: & nominatim pro Sexto Roſcio: *Quapropter vos oro atque obſecro judices, attente, bonaque cum venia verba mea audiatis.* Expedit

petit imo interdum, hanc petitionem in ipſo decurſu orationis renovare, præſertim ſi auditor longueſcere forte, & aures defatigatæ peregrinari incipiant. Egregie hoc præſtitit Tullius pro Cluentio c. 24. ubi ſic ait: *Vos quæſo, ut adhuc me attente audiſtis, item quæ reliqua ſunt, audiatis. Profecto nihil a me dicetur, quod non dignum hoc conventu, & ſilentio, dignum veſtris ſtudiis atque auribus eſſe videatur.*

b. *Promittendo* nos dicturos de rebus minime vulgaribus, magnis, utilibus, jucundis. Sic rurſum Cicero pro Rabirio: *Sic enim exiſtimare debetis Quirites, poſt hominum memoriam rem nullam magis periculoſam, magis ab omnibus vobis providendam, nec a tribuno plebis ſuſceptam, neque a Conſule defenſam, neque ad populum R. eſſe delatam.* Quin ipſi Poetæ nonnunquam hoc allectamento utuntur. Ita Horat L. 3. Od. 1.

— — — Carmina nun prius
Audita Muſarum ſacerdos
Virginibus puerisque canto.

c. *Pollicendo* denique brevitatem, quæ una fovendæ attentionis certiſſima ratio eſt, ſi promiſſorum fidem reipſa liberes. Ut enim monet Tullius: *Multo ſatius eſt, ut Orator deſinat; quam ſi deficiat: &*

audi-

auditor cum desiderio, quam si cum fastidio ac satietate recedat.

3. *Docilitas Auditoris* duobus potissimum modis obtinebitur, nimirum.

a. Si breviter, dilucide, simpliciterque proponas, de qua re dicendum sit, id quod justa propositione præstabitur.

b. Si orationem in duo triave summa capita perspicue partiaris, quod accurata partitione effici manifestum est. Ita Cic. Philipp. 7. *Cur pacem nolo? quia turpis est, quia periculosa, quia esse non potest. Quæ tria dum explico; peto a vobis P. C. ut eadem benignitate, qua soletis, verba mea audiatis.*

Annot. Docilitatis proinde efficiendæ, quae in Exordiis desideratur, tota ratio in propositione & partitione sita est, de qua utraque infra.

d. Habent vero Exordia virtutes suas, quibus carere non possunt, & obnoxia item aliquando sunt vitiis: quorum proinde primas sic tota contentione consectari, ut a posterioribus cavere oportebit.

1. Virtutes quidem Exordiorum præcipue sunt:

a. *Proprietas*, quæ in eo posita est; ut Exordium cum reliqua oratione tanquam caput cum corpore conjunctum

sit

fit. Itaque fit huic, quo tractas argumento, fit loco, tempori, ceterisque adjunctis omnino accommodatum.

b. *Cura :* efficiet hæc Exordium accuratum, diligenterque elaboratum, aptum verbis elegantibus & numerosis, ac instructum sententiis gravibus, dignitatem quamdam habentibus: ad morem fere peritorum Architectorum *vestibula aditusque ad causam faciet illustres.* Prima quippe oratoris commendatio ab exordio proficiscitur: in quo tractando si negligentior incomtiorque fuerit, quidquid reliquum est, fastidietur, nauseabiturque.

c. *Brevitas*, reddet Exordium reliquæ orationis magnitudini accommodatum, neque inani verborum circuitione longius, quam par est, produci sinet. Monstro enim simile est pygmæo corpori caput giganteum; aut humili tugurio valvas prægrandes, & ingens vestibulum affigere.

2. Vitiosa vero Exordia, in quæ præsertim juventus proclivior esse solet, numerantur sequentia:

a. *Commune*, quod multis argumentis & caussis, fortassis etiam contrariis applicari potest; cujusmodi exordia lepide comparan-

parantur ephippio, quod pluribus equis accommodari poteſt.

b. *Nimis vulgare & tritum*, ſi ingenii tui debilitatem, cauſſæque, quam tractandam ſuſcipis, gravitatem itentidem excuſes.

c. *Separatum & longe arceſſitum*, quod cum argumento orationis nihil, aut fere nihil cohæret, ſic, ut non niſi violente propoſitioni aptari poſſit.

d. *Nimis longum*, nec ceteræ orationis magnitudini commenſuratum.

Annot. Non propterea continuo orationi longæ breviſſimum, quod nonnulli ſolent, præfigatur exordium; certe ingentem Baſilicam minime decent fores exiguæ; ſed ſollicite cavendum in utramque partem, ut ne quid nimis.

e. Fontes, unde derivari juſta & legitima Exordia poſſint, duorum generum ſtatuuntur, aut enim *extrinſecus* arceſſentur, aut ex ipſa re, & ut inquiunt, ex *viſceribus cauſſæ* naſcentur.

1. Prioris generis, nempe *extrinſecus petita* Cicero habet pleraque; ex ſe ipſo, ex reo, ex adverſario, ex judicibus, ex judicii forma, ex ſenſu hominum ſuper cauſſa propoſita &c. exorſus; idque rectiſſime, cum fere in ſingulis factis cauſſisque particularibus aliquid novi occurreret, quo animi auditorum teneri poſſent. Hodie cum elo-

quentia ad res universales, nullis circumstantiis convestitas potissimum applicari solet: sequentia fere obtinent in exordiis hujus primi generis, in quibus ipsis non minus exempla veterum nobis præsto sunt.

a. *Ab aliquo insigni dicto factove*, quæ tantipser amplificata ad rem nostram transferuntur. Sic apud Sallust. Catilina conjuratos suos ad impium bellum adhortatur: *Compertum habeo milites, verba virtutem non addere, neque ex ignavo strenuum neque fortem ex timido exercitum Imperatoris oratione fieri* &c. Item Cæsar apud eumdem Sallustium pro Catilina in senatu ab insigni effato ita exorditur: *Omnes homines P. C. qui de rebus dubiis consultant, ab odio, amentia, ira, atque misericordia vacuos esse decet.* Denique apud Livium Minucius magister equitum servatus a Fabio: *Sæpe ego audivi, eum primum esse virum, qui ipse consulat, quid in rem sit; secundum, qui bene monenti obediat: qui nec ipse consulere, nec alteri parere scit, extremi ingenii esse &c.*

b. *Ab Historia aut Fabula.* Ita Menenius orationem suam, qua plebem ex monte Aventino reduxit, a fabulosa ventris & ceterorum membrorum discordia auspicatus est.

2. *Ab*

c. *Ab eruditione aliqua aut controversa quaestione.* Ita Cicero librum de inventione inchoavit: *Saepe & multum hoc mecum cogitavi, bonine an mali plus attulerit hominibus & civitatibus copia dicendi ac summum eloquentiae studium.* Ita Poëta Claudianus ex eodem fonte carmen suum in Rufinum exorditur:

Saepe mihi dubiam traxit sententia mentem,
Curarent superbi terras, an nullus inesset
Rector, & incerto fluerent mortalia casu?

— — — — — — — — — —

Abstulit hanc nobis Rufini poena tumultum,
Absolvitque Deos. Jam non ad culmina rerum
Injunctos crevisse queror; Tolluntur in altum,
Ut casu graviore ruant.

2. *Ex visceribus caussae* longe solidius concinniusque repetuntur exordia, simulque in illis jaciuntur argumentorum & affectuum omnium semina, quae deinceps per cursum orationis felicius retractari poterunt. Tres ante ceteros exordiendi in hoc genere modi veterum auctoritate commendantur:

a. *A rotunda simplicique rei expositione*, sine fuco, sine calamistris, sine ullo in speciem artificio. Sic Cicero pro Ligario; *Novum crimen C. Caesar & ante hunc diem inauditum: propinquus meus ad Te Q. Tubero detulit, Q. Ligarium in Africa fuisse.*

b. *A genere* cum hypothefis ad thefim revocatur, id eft: cum propofitio circumftantiis fuis veftita ac proinde particularis ad generalem aliquem, aut locum communem reducitur, unde dein ad particularia facilis eft defcenfus. Ita e. g. Hannibali perfuafurus, ne Capuæ hybernet, de malis voluptatis in exercitum ingruentis, vel Virgilium de imitato eximie Homero laudaturus, univerfe de imitandi utilitate ordiri poteris &c.

c. *A contrario*, cum ea videmur dicere, quæ adverfariis faveant, fcilicet eos fenfim in noftram fententiam nihil minus cogitantes pertrahamus. Ita Alexander apud Curtium cohortaturus milites ad expeditionem Indicam, a qua abhorrebant, *Magnitudinem rerum*, inquit, *quas geffiftis milites, intuentibus vobis minime mirum eft, & defiderium quietis & fatietatem gloriæ occurrere.*

I. *Annot.* Exordiorum difficultas, quæ juvenes nonnunquam mifere torquere folet, facile evanefcet fi ex præcepto Fabii Quintiliani diligenter intueantur: apud quos, pro quibus, contra quos, quo loco, quo tempore, quo rerum ftatu dicendum fit, quid auditores & judices fentire credibile fit, quis fit orationis fcopus, quid petatur, quid obtineri debeat & reliqua, quæ Adjunctorum nomine veniunt, hic omnibus mature

re perpensis natura magistra optime docebit, ubi, quomodove exordiendum sit.

2. Disputant præceptores eloquentiæ in utramque partem rationibus, principione & in ipso accessu statim, an contra perfecta demum tota oratione de Exordio construendo curandum sit? Nos quemadmodum elaborationem Exordiorum in ipso aditu suscipiemus, a capite ad calcem progressi; ita constructionis delineationem non nisi post ordinatam omnem orationis fabricam attentabimus, exemplo & monitis ipsius Ciceronis cauti, qui lib. 2. de oratore conceptis verbis ait: *Ego omnibus rebus consideratis tum denique id, quod primum est dicendum, postremo loco soleo cogitare, quo utar exordio. Nam si quando id primum invenire volui, nullum mihi occurrit nisi ut exile, aut nugatorium, aut vulgare atque commune.*

§. II.

De Propositione.

1. Propositio est brevis & aperta explicatio ejus, quod demonstrandum aut exponendum sibi orator sumit, & quæ Exordio statim subnectitur, e. g. *Pompejus est optimus imperator. Utilis est eloquentiæ Philosophia moralis.*

I. *Annot.* Si propositio interdum nota est omnibus ex circumstantiis tum liberum est eam exprimere *vel* omittere. In orationibus aut allocutionibus militaribus & civilibus plerumque ea omissa statim ad rationes & affectus acceditur. Sic apud Liv. l. I. c. 10. Horatius Pater nequaquam pre-

ponit esse parcendum filio sororicidae, sed continuo ad affectum excurrit: *Hunccine, quem modo decoratum, ovantemque victoria incedentem vidistis Quirites, eum sub furca vinctum inter verbera & cruciatus videre potestis? Ita nusquam in* I. Catilin. reperitur aliqua propositio, tota tamen in eo versatur oratio, ut Catilinæ persuadent ex Urbe excessum.

2. Interdum eo fulto tegitur Propositio, ut vitetur offensio, sic Catilin. 4. Cicero omni contentione agit, ut mors in conjuratos decernatur, sed nunquam id aperte pronunciat timens crudelitatis invidiam.

b. Dotes necessariæ Propositionis recensentur tres: ut nempe exprimatur *breviter*, *simpliciter* & *perspicue*.

1. *Brevis* erit Propositio, si vitetur omnis in ea efferenda seu prolixitas verborum, seu aggestio rerum, quæ forte ad confirmationem melius, forte nihil plane ad totam orationem pertinebit.

2. *Simplex* & una erit: si unica solum proponatur sententia, ad quam ceu scopum omnia argumenta, omnesque partes deinceps per decursum obvenientes colliment; non vero sit duplex fortassis aut multiplex, quod in problematicis orationibus usu venire solet. v. g. An Typographiæ, aut pulveris nitrati inventio majorem Germaniæ laudem conciliet? Caret hæc propositio simplicitate & unitate, quam haberet, si ita efferretur

retur: Typographiæ inventio summam Germaniæ conciliat laudem. A simplicitate & tam necessaria unitate longe foedius illi exerrant, qui a proposito penitus aversi extra oleas, ut dicitur, vagantur.

3. *Perspicua* Propositio est, si ita clara nitidaque ad exprimendum adhibeantur verba, ut res proposita non solum absque omni labore intelligatur, sed etiam non possit non intelligi.

a. *Annot.* Requirunt nonnulli, ut Propositio etiam nova sit, novitate sua percellat, & ex trita vulgarique fiat inusitata, quod fere attentionem parare solet. Sic trita vulgarisque est Propositio: *Homo multorum sibi malorum auctor est*, quæ nihil attentione dignum habet; fiet vero nova & admirabilis, si cum S. Chrysostomo dicas: *Nemo læditur nisi a se ipso*; vel *Nemo miser, nisi qui velit.*

b. Cum Tiro Propositiones nonnunquam occultas, tortuosas, prolixasque apud Demosthenem, Ciceronem, aliosque magni nominis oratores deprehendet, non statim vitio id dabit; sed laudi potius, si ad suasionem conferre, ut fere consuevit, deprehendet.

§. III.

De Partitione.

a. Paratis m per rebus, quasi armis, inquit nonnemo, statuta novissime propositione, ceu concertationis campo, distributio nunc omnis

facienda eſt, tanquam acies inſtrueretur, tormentaque ſuis locis collocarentur. Inſtructionem hujusmodi Partitio efficit.

b. Eſt autem Partitio, ut ait Cic. de Invent. *in qua earum rerum, de quibus erimus dicturi, breviter expoſitio ponitur diſtributa, ex qua conficitur, ut certas animo res teneat auditor, quibus dictis intelligat fore peroratum.* Brevius alii definiunt Partitionem; quod ſit præcipuarum partium orationis ordine collocata enumeratio.

1. *Annot.* Orator animo præcipiens accumulatas res plurimas auditu dignas, quas in promtu habet, videnſque alias affines inter ſe; alienas autem alias; hujus generis has, illas alterius; diſpeſcit eas ſingulas, & ad certum genus quasque revocat, tum ad certa capita & genera revocatas ſub unum quaſi obtutum auditoribus ſiſtit. Sic Cicero Philipp. 7. *Cur igitur pacem nolo? quia turpis eſt; quia pericoloſa; quia eſſe non poteſt.* Vides ad tria ſumma capita omnem diſſuaſionis materiam eſſe reductam. Si quondam laudatus eſt Cato Cenſorius, ut optimus orator, optimus Senator, optimus Imperator. Quanta ſeges orationis in his tribus capitibus comprehenditur? Sic de Catone Uticenſi Cic. ad Attic. *Sed vere laudari vir ille non poteſt, niſi hæc ornata ſint: quod ille ea, quæ nunc ſunt* (mala belli civilis) *& futura viderit; & ne fierent, contenderit; & facta ne videret, vitam reliquerit:* quorum primum fuit ſapientiæ, alterum pietatis in patriam, tertium fortitudinis, ut ipſe putabat.

2. In defenſionibus aut confutationibus: orator nonnunquam ordinem partitionemque ipſorummet

met adverſariorum ſequitur; ſic Cicero pro Cluentio: *Animadverti, judices, omnem accuſatoris orationem in duas diviſam eſſe partes - - - Mihi certum eſt hanc eandem diſtributionem, invidiæ & criminum ſic in defenſione ſervare &c.*

c. Etſi Cicero, Demoſthenes, aliique tum veteres, tum recentiores aperta hujusmodi Partitione & expreſſa non ſemper, imo rarius uſi fuerint, adhibetur tamen ea hodie paſſim ab oratoribus non ſine magna utilitate; 1) affert enim lumen orationi, totamque ſub unum quaſi conſpectum ſiſtit; 2) juvat memoriam & oratoris, & auditorum; 3) & denique levat audiendi faſtidium, quemadmodum viatorem ſpatia certis lapidibus & intervallis diſtincta mirifice recreant.

d. In quot membra Partitio diſpeſcenda ſit, certa lege definiri non poteſt, ſed pro re nata & ex tractationis neceſſitate prudenter ab oratore debet æſtimari. Quamvis enim propoſitio in tres partes diviſa frequentior ſit, reperiuntur tamen etiam bifariam & quadrifariam rectiſſime a Cicerone diviſæ. Pro Archia in binas partes diſtributa eſt; *Perficiam profecto, ut hunc A. Licinium non modo non ſegregandum, quum ſit civis, a numero civium; verum etiam, ſi non eſſet, putetis adſciſcendum fuiſſe.* L. 8 ad Atticum ep. 11. optima reipublicæ conſtitutio quadrifariam diviſa reperitur: *Moderatori reipublicæ beata civium vita propoſita eſt:*

ut opibus firma; copiis locuples; gloria ampla virtute honesta sit.

e. Leges bonæ cujuscunque Patitionis fere sequentibus continentur.

1. Divisio sit plena, membraque divisa adæquent propositionem, quæ divisa est. Sic e. g. manca fuisset pro L. Manil. divisio laudis imperatoriæ prætermissa scientia militari.

2. Membra divisionis sint quodam modo opposita, neque unum in altero contineatur, ut: in Pompejo fuit scientia militaris & ars castra metandi; quæ divisio vitiosa est.

3. Divisio habeat partes duas, tresve, ultra quatuor nunquam progrediatur. Si enim nimis concisa sit, ut monet Fabius, offundet orationi tenebras, parietque obscuritatem illam, contra quam inducta est.

4. Divisio sit plana, simplex, & quasi obvia non vero ad artis & ingenii ostentationem longius arcessita.

Annot. Quamquam partitiones ordini atque adeo memoriæ magnopere consulant, tamen id quoque tenendum: Partitiones esse quasi vincula, quibus constricta tabescet eloquentia, nisi dexteritate & robore ingenii liberetur.

CA-

CAPVT III.

De Narratione.

a. Mirum plane non eſt; a tot antiquis præceptoribus eloquentiæ Narrationem inter præcipuas partes Orationis ordine ſecundam collocari; quam plerique hodierni vel ad Confirmationem tanquam partem illius rejiciunt, vel Propoſitione, Partitioneque comprehendi putant. Cum enim frequentiſſime eorum orationes in genere judiciali verſarentur; ubi in Narratione fundamentum totius Confirmationis & ſemina argumentorum omnium jaci oportebat, ſummi certe momenti tractatio hujus partis videri merito debuit. Hodie cum uſus eloquentiæ forenſis prope exolevit, ſi quando adhuc Narratio neceſſaria vel utilis videtur, aut Propoſitione præmittitur, hoc eſt tanquam pars exordio inſeritur; aut Confirmationi ſic annectitur, ut modo præeat ipſam Confirmationem, viamque ſternat argumentis ſuccedentibus modo Confirmationi illigetur, atque in ea nonnunquam diſcerpta diſpergatur quemadmodum amplificatio motusque exigere videtur.

b. Neceſſaria eſt Narratio in plerisque orationibus ad genus judiciale ſpectantibus; conſtare enim debet de re geſta inter accuſatorem & reum,

reum; erunt item nonnunquam ante caussæ constitutionem fortassis aliqua caussæ præjudicia amolienda, aliqua reticenda, alia coloranda, alia exaggeranda. Elegantissimum & omnibus numeris absolutum Narrationis hujusmodi exemplum extat apud Ciceronem pro Milone. In causis vero deliberativi & exornativi generis plerumque utilis est Narratio, nonnunquam etiam necessaria; quomodo enim persuaderi auditores de caussae veritate aut dignitate possunt, si claram distinctamque illius cognitionem non habent?

c. Virtutes Narrationum parte prima hujus operis in Praeexercitamentis traditaé sunt, quae proinde hoc loco diligenter erunt recolendae. Quae propius autem & sigillatim huc referuntur, fere sunt sequentia:

1. Omnis Narratio bona induit naturam rei, ad quam dirigitur. Vis docere, digna selige, quae discantur. Vis delectare; quae auditu jucunda sint, adsciscere. Vis movere existimationem, admirationem, adversionem, odium &c.; sume quae grandia, excelsa, praeclara, molesta, turpia sunt.

2. Quo Narratio tendit, eo referenda sunt omnia.

3. Elementa & semina omnium prope argumentorum in Narratione, si qua fundamentum

tum orationis alicujus, conſtituit, ſpargi debent.

4. Non ſolum eventa narrantur, ſed modi etiam, cauſae, conſilia, apparatus, cupiditates, ſpes, metus &c.

5. Teguntur, quae obſunt, aut extenuantur: contra quae proſunt, efferuntur, illuſtrantur, exaggerantur Ciceronis in Verrinis Narrationes prope omnes in hoc triumphant;

6. Non raro ſeries Narrationis interrumpitur animadverſionibus, amplificationibus, invectivis, affectibus, ut tanto magis exurgat Narratio. Exemplis praeceptorum iſtorum plenae ſunt Narrationes oratoriae Ciceronis, & complures hiſtoricae Livii, Salluſtii, Taciti, Curtii &c.

CAPUT IV.

De Confirmatione univerſe.

a. Confirmatio eſt tertia orationis pars, eaque praecipua, quoniam in hac cauſſae firmamenta proponenda ſunt. Liquet hinc, cur Confirmatio ab Ariſtotele *fides* appellata ſit, quod ſit ſcilicet in hac parte, quidquid ad fidem faciendam valere poteſt, quaſi viſcera & vita

totius

totius caussae contineantur, in eaque praesertim tota persuadendi spes sita esse debeat.

b. Duplicis autem potissimum generis sunt; quae firmamentorum nomine hoc loco veniunt. Alia enim caussam nostram stabiliunt, augent, illuminant, roborant, eaque proprio *Confirmationis* nomine concluduntur; alia autem contra adversariorum caussam evertunt; aut quae demumcunque officere nobis posse videntur, occupant, attenuant, obscurant, & infirmant, atque ita eadem opera caussam nostram firmant & consolidant; haec *Confutationis* nomen sortita sunt. De utraque seorsum nonnulla monere expedit.

§. 1.

De Confirmatione proprie dicta.

Vis omnis Confirmationis oratoriae tribus praecipue capitibus nititur: argumentis, augumentationibus & amplificatione. De singulis his diffuse supra tractavimus, isthic analecta tantum aliqua capitibus singulis adjicimus. Et quidem

1. De argumentis: in quibus tota convincendi efficacia sita est: animadvertit:

 a. Quae nota omnibus & accepta sunt, nusquam probanda esse; taedium enim ejusmodi probationes potius creabunt, quam fidem, & quod certum est, disputando incertum reddetur. Ut enim ait Quintilianus: *In rebus*

aper-

apertis argumentari tam ſit ſtultum, quam in clariſſimum ſolem mortale lumen inferre.

b. Probatio, qua opus eſſe videbitur, *ordinata* ſit oportet, *cauta*, & *fortis*:

1. *Ordinata* Probatio requirit; ut ordine collocentur, quae proferenda ſunt; prout natura vel tempore priora ſunt, aut poſteriora. Ita apud Ciceronem pro L. Manil. ſcientia militaris & virtus auctoritatem praecedunt; haec quippe ex illis naſcitur. Ita pro Caelio apud eundem Cic. agitur primum de patre illius, tum tranſitur ad famam domeſticam, ad pueritiam, ad adoleſcentiam &c.

Annot. Quodſi hic ordo fortaſſis ob cauſſas nonnullas incommodus eſſet; nihil vetabit eum facili quodam artificio aliquando commutari.

2. *Cauta* erit Probatio quadruplici fere ratione: a.) Primo, ſi principio nihil leve & debile adferetur; quod enim primum auditur, eſt veluti cauſſae augurium, b.) deinde ſi quidquid imbecillum eſt, omittatur, vel conjiciatur in medium, ubi ex fortiorum argumentorum conjunctione vigeat ſplendeatque, c.) tum ſi ita res & partes diſperſerit orator, ut debiles partes tegantur, fortes oſtententur. d.) denique ne ullum firmamentum cauſſae ſuae extare patiatur, quod facile diſſolvatur, mul-

multo minus vero, quod in oratorem reflectatur.

3. *Fortis* Probatio eſt, ſi firmum habet ingreſſum, exitum vero firmiorem; ille animos occupare; hic expugnare conſuevit. In hunc finem

c. Argumenta, quae in rem delecta fuerint, ita ſunt inter ſe coordinanda, ut firma, ſolida ac valida ſemper primo loco collocentur, quae auditorum attentionem concilient, & ſuffragium quaſi dubiis adhuc, ſtatim in aggreſſu eripiant; firmiſſima vero & excellentia ultimo loco reſervanda ſunt, non ſolum ut altius haereant animo mox diſceſſuri Auditoris, ſed viam etiam parent affectibus in Peroratione movendis. Mediocria, ſi qua tractare neceſſe erit, in locum medium recipiantur, ubi a primis pariter & ultimis robur firmitatemque mutuabuntur.

d. Si unica bona fortaſſis ſolum ſuppeditet ratio, hinc incipiendum, hinc deſinendum, eamdem rem divetſis modis verſare, tractare, retractareque, fere ut in expolitione notatum eſt, orator poterit ac adeo debebit.

e. Si qua ſunt argumenta; quae tractari ornarique ex legibus Oratoriae renuant; praeſtabit illa omnia repudiare, quam cum diſcrimine finis obtinendi in orationem tuam

infar-

infarcire juxta Horatii consilium: *Et quæ desperas tractata nitescere posse relinquas.*

2. In Argumentionibus, quæ recte dicuntur nervi orationis, id primum, id postremum sibi inculcatum debet habere orator; ut ad satietatem tædiumque vitandum variis argumentionibus efferat, quæ in rem suam invenit disposuitque argumenta. Incredibili robore, si ceterum valebunt; se insinuabunt argumenta in animos auditorum, quæ diverso argumentandi modo proponentur. Itaque nec continenter Syllogismis, nec perpetuo Enthymematis &c. sed modo his, modo aliis convenientioribus argumentationibus erunt convestienda & alternanda.

3. Quemadmodum autem per argumentationes argumenta aptantur intellectui, idoneaque ad eum convincendum redduntur, ita per amplificationes suis locis aspersas voluntati attemperantur, fiantque, ut Cicero ait, flexanima. De hac re summa oratori cura sit, ut alibi monuimus. Si amplificatio præsertim illa per incrementum, non partes modo singulas, sed orationis totum corpus & structuram pervadat, ad movendum est longe validissima: & inter opera omnia eloquentiæ nobilissimum.

§. II.

De Confutatione.

a. Confutatio vocatur ea pars Confirmationis, qua rationes contra nos pugnantes refellimus. Contingere etiam poteſt, totam orationem quamdam Confutationem eſſe, ſed tum non erit hujus loci, ſed erit oratio, & ipſa Confutatio nomine Confirmationis cenſeri debebit.

b. Confutationis munus erit oſtendere, quod ea, quæ aut objecta ſunt, aut objici poſſent, (nam & iſta occupari ab oratore prudente neceſſe eſt) vel *falſa* ſint, vel *aliena*, vel *levia*. Cicero primum præſtitit pro Dejotaro, negans eum animo alieno a Cæſare fuiſſe; alterum pro Muræna, cui cum objiceretur: in Aſia eum fuiſſe; Cicero retundit, ſi fuit in Aſia, non idcirco Aſiaticis vitiis infectum continuo cenſeri debere: tertium denique item pro Muræna, cui Cato captata ſuffragia illecebris voluptatum objecit; Cicero jocoſe eluſit.

c. Ad triplex, hoc confutationis munus diverſi illi modi plane ſunt accommodati, quibus Confutatio peragi ex præceptionibus oratoriis conſuevit, ſcilicet:

1. *Per meram negationem*, cum id, quod allatum eſt ab Adverſario, falſum omnino eſſe dicimus, & abſurdum, incredibile, ac repugnans eſſe demonſtramus. Ita Cic. pro Quin-

Quinctio negat aperte Sextum Nævium possedisse bona Quinctii ex edicto Prætoris. Pro Roscio demonstrat: paricidii crimen, cujus insimulatur, penitus a vita moribusque illius esse alienum.

2. *Cum factum non negamus, sed excusamus.* Sic Cic. pro Rabirio Saturnini mortem, quæ Rabirio patrata objiciebatur, optat etiam a cliente suo commissum fuisse. *Utinam hanc mihi facultatem caussa concederet, ut possem hoc prædicare: C. Rabirii manu L. Saturnium hostem populi R. interfectum.*

3. *Vicissim adversarios lacessendo:* quemadmodum pastores apud Virgilium jurgantes.

4. *Per indignationem & contemtum*, cum quæ objecta sunt, nobili quadam fiducia spernimus ac dedignamur. Illustre in hoc genere exemplum est Scipionis Africani, majoris dicti, apud Liv. l. 37. qui post res præclarissime innocentissimeque gestas & vindicatam ab interitu rempublicam a Tribunis plebis per calumniam in jus ad dicendam caussam vocatus, *silentio facto, hoc*, inquit, *die Tribuni plebis, vosque Quirites, cum Hanibale & Chartaginensibus signis collatis in Africa bene ac feliciter pugnavi. Itaque cum hodie litibus & jurgiis supersederi æquam sit, ego hinc extemplo in Capitolium, ad jovem Optimum Maximum*

Junonemque Minervam, ceterosque Deos, qui Capitolo atque Arci præsident, salutandos ibo: iisque gratias agam, quod mihi & hoc ipso die, & sæpe alias egregie reipublicæ gerendæ, mentem facultatemque dederunt. Vestrum quoque quibus commodum est, ite mecum Quirites, & Deos, ut mei similes Principes habeatis.

5. *Per jocos, sales & facetias*, quæ si non in mimicam scurrilitatem, aut in atrocia maledicta, aut in dicacitatem oratore indignam degenerent: mirum quantum caussæ prosunt, dum animos auditorum exhilarant.

6. *Per Compensationem*, dum factum neque negamus, nec jure factum contendimus, sed alio quodam præclaro facto compensari ostendimus. Sic Horatius de sororis cæde absolutus fuit, quod victoria & afferto reipublicæ imperio compensasse facinus videretur.

d. Communibus his refutandi formulis accensentur sequentia certissima refutandi compendia:

1. Si objiciatur res admodum gravis, sitque responsum in promtu, quod omnino communi sensui affatim satisfaciat; exponenda est ratio adversariorum, augenda, illuminanda, & tum demum valide acriterque refutanda, responsumque tuum in toto lumine

mine collocandum. Ingenuitate hac, fiducia, & ſuſpenſione certiſſima camparatur victoria.

2. Si reſponſio plane popularis & invicta deeſt, ad dexteritatem converti neceſſe eſt. Itaque.

a. Dividatur difficultas, ſi dividi poteſt; ſin minus, obſcuretur; involvatur, tranſiliatur leviter, quo minor ſit ejus impreſſio. Hic mos Ciceroni eſt admodum familiaris.

b. Reſponſio alte repetatur, & per ambages deducatur; ut a re objecta diſtrahatur auditoris animus, & ad ſuſcipiendas novas cogitationes præparetur. Exemplum elegans eſt in Cicerone pro Cluentio inde ab Exordio incipiendo.

3. Difficultas, quæ populariter ſolvi nulla arte poſſit, disjicienda & eludenda eſt. Exempla extant apud Ciceronem pro Roſcio Amerin. pro Cælio &c.

e. Solent hoc loco adhuc duo neceſſaria in quæſtionem venire, conjunctimne expediat omnia refutare, an ſeparatim? tum: unde & a quibus potiſſimum refellendis, a levioribus, an a graviſſimis exordiendum ſit? Sed de hoc vix certæ aliquæ regulæ, exempla conſtantia nulla ſtatui poſſunt; ſed in caſibus

 ſin-

ſingulis a prudentia oratoris erit conſtituendum, quid quomodove expediat: Certe Cicero pro L. Manilia omnem refutationem in finem rejecit, pro Muræna partim in fine, partim in principio eſt ſuſcepta; paſſim item incipit a rebus levibus & minoris ponderis convellendis: pro Cluentio tamen inchoat a re graviſſima & invidioſiſſima, ad quam ipſam per ambages ſolum aggreditur &c.

CAPUT V.

De Peroratione.

a. Peroratio (Graecis Epilogus) eſt ultima orationis pars, in qua id, quod tota oratione expediebat orator, majore vehementia evincere ac obtinere contendit. Ita Quintilianus.

Annot. In poſtrema igitur hac parte vis omnis ac eloquentiæ nervi exerendi ſunt cum hinc præſertim dependeat eloquentiæ victoria.

2. Graviter errant illi, qui per totum orationis curſum faciliter profecti in fine nunc langueſcunt, & veluti deſtituræ vento naves prope in portu adhærent.

b. Eſt autem Peroratio, ſi perfecta ſit, quemadmodum docet Cicero in partit. c. 15. *diviſa in duas partes, Amplificationem & Enumerationem.*

1. *Enumeratio* (Græcis Anacephalaeoſis) eſt capitum fuſe per orationem expoſitorum bre-

brevis ac artificiosa repetitio & collectio. In hac porro recapitulatione duo præsertim diligenter curanda erunt:

a. Ut cursim & raptim repetantur validissima & ea dumtaxat argumenta, in quibus caussa potissimum consistit, & quæ maxime auditorum animis inhærere velimus. Si enim minutim omnia recoquas *non erit Peroratio; sed nova quædam Oratio*, ut ait Fabius.

b. Ut ne Recapitulatio crambe repetita videatur, desipiatque; quæ disperse diffuseque hactenus dicta sunt; non summatim modo, sed cum novo etiam figurarum ornatu & pondere sententiarum proponenda, varianda, & illuminanda erunt.

Annot. Non in Peroratione tantum, sed post partes etiam orationis nonnunquam ab oratoribus adhibentur anacephalæoses. Utriusque elegans exemplum pro L. Manilia apud Ciceronem est. En conclusionem partis: *Quare videte, num dubitandum vobis sit, omni studio ad id bellum incumbere, in quo gloria nominis vestri, salus sociorum, vectigalia maxima, fortunæ plurimorum civium cum republica defenduntur.* Denique in Peroratione eodem iterum modo: *Quare cum bellum ita necessarium sit, ut negligi non possit; ita magnum, ut accuratissime sit administrandum; & cum ei Imperatorem præficere possitis, in quo sit eximia belli scientia, singularis virtus, clarissima auctoritus, egregia fortuna;*

dubitabitis, Quirites, quin hoc tantum boni, quod a Diis immortalibus, oblatum & datum est, in republicam conservandam, atque amplificandam conferatis.

3. *Amplificatio* altera Perorationis pars est, quæ alibi utilis, in Peroratione maxime necessaria est, quoniam hic maxime urgendus est auditor; & eo, quo volumus, omni contentione impellendus. Et quoniam id præstari sine affectuum concitatione non potest, qui tanquam faces & stimuli auditorum animis hoc loco subjiciendi sunt, Peroratio propterea *sedes affectuum* a magistris artis appellata est.

a. *Itaque in iis caussis, quæ ad delectationem exornantur*, monet Cicero in Partit. *ad amplificandam eos locos tractandos esse, qui movere possint expectationem, admirationem, voluptatem.* Ita Decius Tribunus apud Liv. l. 7. c. 24. ad milites in summo discrimine victores: *Macte virtute milites Romani, este. Vestrum iter ac reditum omnia sæcula laudibus ferent. Sed ad conspiciendam tantam virtutem luce ac die opus est, nec vos digni estis, quos cum tanta gloria in castra reduces silentium ac lux tegat. Hic lucem quieti opperiamur.*

b. *In Cohortationibus autem*, pergit Cicero *bonorum & malorum enumerationes & exempla, valent plurimum.* Hoc modo per-

orat

orat Cicero pro L. Manil. c. 24. *Est vobis auctor vir bellorum omnium, maximarumque rerum peritissimus P. Servilius, — — Est C. Curio* &c. Eodem apud Liv. l. 6. c. 23. Sextius ad plebem perorat, ut faciat alterum Consulem plebejum: *Quippe ex illa die in plebem ventura omnia quibus Patricii excellant, imperium atque honorem, gloriam belli, genus, nobilitatem, magna ipsis fruenda, majora liberis relinquenda.*

c. Et quoniam affectus in auditoribus non eodem, sed plane diversis modis, neque iidem semper, sed varii concitari possunt deligentis prudentiæ erit in oratore, circumspicere: qui in præsens opportunissimi commovendi, urgendique videantur.

1. In rebus quidem tenuibus, aut quæstionibus subtilioribus, quæ cognitionem potius quam actionem respiciunt, ridiculum sit, concitare velle affectus, præsertim vehementiores; sed commentatione caussæ perorari poterit, commemoratione dignitatis, fortassis etiam utilitatis, gratulatione, sollicitatione benevolentiæ &c.

2. Universe autem secundum caussarum genera attemperare decebit affectus, ita ut in *exornativo* amoris, admira-

tionis, æmulationis, & lætitiæ, item pro re nata invidiæ, contemptus, odii &c. in *deliberativo* timoris, ſpei, deſiderii &c. in *judiciali* autem miſericordiæ, iræ, odii &c. affectus omnibus viribus ciendos curet

c. Dotes Perorationis juſtæ ac bonæ duæ præcipue numerantur:

1. Ut ſit *vehemens*, valeatque ad permovendos Auditorum animos.

2. Ut ſit *brevis*, quia ut Tullius obſervat; *Lacrymæ cito areſcunt, & animorum incendia celeriter reſtinguuntur.*

Exemplum numeris ſuis abſolutæ Perorationis vide apud Ciceronem pro Flacco c. 40. *O nox illa; quæ pene æternas huic urbi tenebras attuliſti, quum Galli ad bellum, Catilina ad Urbem, conjurati ad ferrum flammamque vocabantur: quum ego te Flacce, cælum, noctemque conteſtans, flens flentem obteſtabar: quum tuæ fidei optimæ & ſpectatiſſimæ ſalutem Urbis & civium commendabam. Tu tum Flacce Prætor, communis exitii nuncios cepiſti: tu incluſam in litteris reipublicæ peſtem deprehendiſti: tu periculorum indicia, tu ſalutis auxilia ad me & ad ſenatum attuliſti. Quæ tibi tum gratiæ ſunt a me actæ? quæ a bonis omnibus* &c.

PARS

PARS IV.

CAPUT UNICUM.

De Pronunciatione.

a. Quemadmodum res optime inventas accuratiſſimeque diſpoſitas elocutio tandem in lucem protrahit, atque manifeſtas facit, ita ne manifeſte quidem totam ſuam efficacitatem habere poterunt, niſi cum auditoribus communicentur, id quod ope Pronunciationis fieri debet, quæ quarta & ultima oratoriæ artis pars recenſetur, & elocutioni quidem proximus adhæret, in hunc tamen poſtremum locum conſilio rejecta eſt.

b. Eſt autem Pronunciatio vocis geſtuumque pro rerum verborumque varietate apta conformatio. A Tullio vocatur: *Quædam corporis eloquentia*, aut etiam *ſermo corporis.*

c. Quanti momenti ſit Pronunciatio; inde conjicias, quod Græcorum omnium orator maximus Demoſthenes primas eidem; ſecundas & tertias merito & jure tribuerit.

d. Complectitur porro Pronunciatio tres præcipiue partes: *Memoriam, vocem* & *geſtum.* De ſingulis breviter aliqua.

§. I.

§. I.

De Memoria.

a. Pronunciationis totius quasi fundamentum est Memoria. Est enim necesse, de Pronunciationis gratia plurimum perire, si orator memoria non tenere orationem, neque a commentariis oculos vultumque avertere possit.

b. Definitur autem memoria, prout ad eloquentiam referunt, a Tullio: quod sit *firma rerum ac verborum recordatio.*

c. Memoria porro alia est naturalis, alia artificialis.

1. Ut ingenium, sic & memoria naturalis naturæ munus est, quo alia aliis pro muneneris istius libertate præstant. Hac Themistocles ita excelluisse narratur, ut nihil oblivisci posset; hac item Mithridates, ut omnium fere populorum Asiaticorum linguis loqui posset.

2. Alia vocatur *memoria artificialis*, cum nempe arte quadam facultas naturalis vel adjuvatur vel dirigitur ad retinendum reddendumque fideliter, quod volueris.

Annot. Artis hujus Auctor exitisse Simonides Cous traditur apud Cic. de Orat l. 2. c. 86 Cum enim Cramnone in Thessalia conclave concidisset, ubi Scopas cum multis convivis epulabatur, hacque ruina convivarum omnium

omnium corpora ita obtrita fuiſſent, ut a ſuis nemo internoſci, nec proinde humari poſſet, Simonides, qui cœnæ adſederat, & ante ipſam ruinam evocatus fuerat, *dicitur ex eo, quod meminiſſet, quo eorum loco quisque cubuiſſet, demonſtrator uniuscujusque ſepeliendi fuiſſe;* admonitusque hoc caſu artem memoriæ confinxiſſe.

d. Ars memoriæ, ſeu memoria artificialis juxta præceptiones magiſtrorum artis fere ad ſequentia capita reducitur; quæ non tam uſus, quam cognitionis & delectationis gratia tironibus explicari pro libitu & otio poterunt.

1. Nititur hæc omnis ars principiis ſine controverſia certiſſimis tribus, nempe

 a. Quæ ſenſibus, præcipue oculis commiſſa ſunt, altius inſiguntur animo, & firmius retinentur.

 b. Ad intuitum locorum in mentem revocantur facillime res inibi geſtæ, aut memoriæ cauſſa collocatæ.

 c. Nullum præſentius memoriæ adjumentum quam ordo, & in ordinem proinde convenientem regeſtæ res.

2. Principiis artis conformiter, artificium ad tria itidem reducitur capita:

 a. Seligendi ſunt loci inſignes & conſpicui, qui nobis alioqui cogniti ſint, &

menti

menti altius impressi, sæpiusque recurrent. Seligendi vero erunt pro rei opportunitate convenientes, & congrui, e. g. si tractentur res sacræ: templum aut oratorium; si profanæ; forum, theatrum, palatium; si politicæ: aula vel curia; si bellicæ: arx, castra armamentarium; si lætitiæ: hortus, nemus in iisque fontes, flores, aviaria, si mœstæ: rupes, specus, voragines &c. In similibus locis res, quarum meminisse volumus reponuntur.

b. Rerum hujusmodi repositarum finguntur imagines acres & vividæ, quæ cum re deposita similitudinem aliquam habeant, & adeo facilius memoriam percellere possint. Tales sunt imagines e. g. Regis, hominis, leonis, aquilæ, draconis, quercus, vitis, rosæ, hastæ &c. Sic e. g. ut meminisse valeas sententiæ: *Nosce te ipsum*, finge hominem se in speculo contemplantem &c.

c. Tum vero ordine distribuenda sunt & loca, quæ elegeris: & affixæ locis imagines nonnunquam etiam, cum res & imagines copiosiores sunt, erunt subdividendæ. v. g. in templo distribue sacella ex utraque parte sita in classes duas; tertia classis sit chorus &c. suppeditare item poterunt distributio-

nem

nem aut ſubdiviſionem; ſtatuæ, tabulæ &c.

3. Exemplo fortaſſis felicius declarabitur totum artificium hoc memoriæ, pro quo tantum l. 2. de Orat. c. 88. pugnat Cicero & Auctor ad Herennium, quod tamen plerique recentiores ad obruendam multo conatu & implicandam magis, quam ad ſublevandam memoriam valere putant.

Sint itaque memoria tenendæ rationes, quibus nititur Religio Chriſtiana, videlicet:

a. Futurorum prædictio.
b. Sacrorum librorum conſenſus.
c. Miracula in confirmationem patrata.
d. Sanctitas hujus Religionis.
e. Mors pro Chriſto obita &c.

Elige loca, quibus commendaturus es has rationes, e. g. Sacella Eccleſiæ quinque; ſingulisque annecte rationem ſingulam, e.g.

Sacello A. —— rationem a.
Sacello B. —— rationem b.

Circumſpice deinde imagines ſimiles rationibus tuis; hæ ſint e. g.

I. Statua digito Meſſiam diſſitum indicans, Pro ratione a.
II. Libri quatuor aurei mutuo innixi. Pro ratione b.
III. Ho-

III. Homines cœci, claudi, mortui &c:
Pro ratione c:

IV. Virgo candidam veſtem induta in cœlum intuens. Pro ratione d:

V. Mortis inſtrumenta, faces, enſes, rotæ &c. Pro ratione e:

Coordina nunc & colliga ſacella, rationes, & imagines hoc fere modo:

Sacellum A:
Ratio a — Prædictio futurorum:
Imago I. - Statua digito Meſſiam indicans.

Sacellum B:
Ratio b. — Sacrorum librorum conſenſus:
Imago II. Libri quatuor aurei.

Sacellum C:
Ratio c. — Miracula patrata.
Imago III. — Homines cœci &c.

Annot. Vidi, ſi memoria tua adjuvetur, promtiorque fiat hac arte, ita ut ad aſpectum ſacelli A. recurrat & imago I. & ratio a.

c. Certius longe, meliusque memoriæ naturalis ſubſidium in ſequentibus compendiis ſitum eſt, de quorum vi & efficacia omnes una voce conſentiunt, qui experimenta fecerunt; quæque proinde juvenibus magnopere ſunt commendanda:

1. Primum præ cæteris omnibus locum tenet frequens diligensque exercitatio, de qua difer-

diſerte Cicero de Seneƈt. c. 7. ait: *At memoria minuitur. Credo, niſi exerceas.* Et l. 1. de Orat. c. 34 *Exercenda eſt memoria ediſcendis ad verbum quam plurimis & noſtris ſcriptis, & alienis.*

2. Scribatur ab ipſomet oratore, quod memoriae imprimi debet: experimur enim, quae ſcripſimus ipſi, altius in animum deſcendere, quam leƈta tantum vel audita.

3. In ipſa ſcriptione non modo partes orationis majores, argumenta ſingula, aut amplificationes majores, ſed etiam ſubdiviſiones partium aut diverſae ſeƈtionis a novo verſu inchoandae ſunt, & remotius, diſtinƈtiusque ſcribendae. Conciſiones hujusmodi & laborem & taedium ediſcendi valde levant.

4. Juvat non parum ex iisdem, in quibus orationem primum deſcripſiſti, chartis ediſcere.

5. Iuverit item per partes memoriae mandare, quae retinere velis.

6. Commendatur denique ſolitudo, & tempus opportunum. Matutinum ceteris diei partibus merito praefertur: praeſertim ſi pridie ante decubitum curate ſemel iterumque releƈta ſunt, quae mane imprimenda erunt memoriae.

7. Si fieri poteſt; utendum clara in diſcendo voce, aut admodum articulata ſaltem, quod mire deinceps ad reliquam pronunciationem conferet.

§. II.

De Voce.

a. Vocis opportuna modulatio, quae oratorem deceat, ſcriptura aliqua tradi non poteſt; itaque exempla tantum probatiſſimorum in hoc genere vivaeque praeſertim voces cum fructu inſtituere poterunt.

b. Ne tamen vel in hoc deſerere videamur tironem Oratoriae, ex plurimis, quae de hoc extant, praeceptionibus pauca ſuffecerint monita, quae ſequuntur:

1. Ut crebra ſit vocis mutatio, generatim praecepit Tullius. Nihil moleſtiſſimae ſatietati propius, quam uno ſemper ſono profluens oratio.

a. *Annot.* Mutanda eſt vox non tantum cum varia themata, variae figurae, variique affectus exprimuntur, ſed etiam cum diverſæ orationis partes proferuntur. Ita nimirum: *Exordium* (niſi abruptum ſit) lenem, modeſtam, tranquillam exigit vocem; *Partitio* claram ac diſtinctam: *Confirmatio* temperatam quidem, ſed firmam tamen & maſculam; *Peroratio* demum vividam, concitatam, vehementem.

b. Cum ars ſemper imitari & corrigere debeat naturam, conſideretur obſerveturque ruſticus qui-

quidam puer. *Irascitur*, vox illi tum scilicet acuta est, incitata, crebre incidens. *Miseratur*, *moeret*; vox illi mollis, plena, interrupta, flebilis. *Timet*, *pudet*; vox demissa haesitans, abjecta. *Speret*, *audet*; vox contenta, vehemens, quodammodo graviter incitata. *Gaudet aut voluptate mulcetur*; vox effusa, lenis, tenera, hilaris, remissa &c. Verum non imitanda solum erit natura, sed corrigenda etiam & moderanda: ne quando suo impetu & neglectu in sonos inconditos, indecoros, ridiculos &c. erumpat.

2. Vocem in orando gradatim tantum ascendere fas est, nec initio statim summa contentione nitendum. Immo nunquam omnes, quibus vales, vocis vires intendendae sunt, nisi quid valde absonum & ingratum, fortassis lateribus etiam periculosum inde existere malis.

3. Paranda jam vox & vires, ut ita dicam, vocis ex longinquo iis locis aut affectibus, qui vim nervosque postulare videbuntur. Ita Roscius magnus ille Orator apud Romanos laudante Cicerone l. 3. de Orat. quam leniter remisseque haec protulit. *Quid petam Praesidii?* instabat enim affectus *o pater! o patria, o Priami domus!* &c. quem tota contentione pronunciavit, & in quo deficiendum erat, si prius inani motu vox spiritusque consumta fuissent.

c. Non magis vero tironi eloquentiae elaborandum erit in explendo rite vocis officio, quam in fugiendis vocis vitiis. Sunt autem ea fere:

1. *Cantillatio* eſt modulatio quaedam flexioque modica, & quaſi undulans vocis ad rythmorum modum per totam fere orationem aequaliter procurrens.

2. *Monotonia* cantillationi partim oppoſita, partim cum illa eadem, eſt vocis uſus uno eodemque ſono definitus, qui legentem potius, quam orantem refert. Moleſtiſſima ſane haec auditoribus accidere ſolet. Orator hujus commatis merito ſecundum Horatii legem *ut citharoedus ridetur, qui chorda ſemper oberrat eadem.*

3. *Vociferatio*, eſt immoderata vocis contentio. Delectari fortaſſis Stentorio tali clamore rudis aliqua plebecula ob latera valentiſſima nonnunquam poteſt; ſed enim Cicero hos aptiſſime non oratores, ſed latratores vocat.

4. *Languor*, vitium vociferationi directe oppoſitium, cum frigide, oſcianter, voce intermortua, ſine ſpiritu & vita oratio dicitur.

5. *Praecipitantia*, vitium familiare juventuti eſt, cum celeritate nimia & volubilitate nunquam remittente torrentis inſtar ita effunditur oratio, ut oratori vix mora ad reſpi-

ſpirandum ſuperſit, auditori ad cogitandum nulla relinquatur.

6. *Lentitudo*, oppoſita praecipitantiae: eorum eſt, qui alternis aut tertiis quibusque voculis interſiſtunt: orationis litteras ſyllabatim computant, & guttatim, ut quidam ait, loquuntur.

§. III.

De Geſtu.

a. Geſtus, qui Pronunciationis complementum eſt, definitur a Quintiliano: quod ſit *totus corporis motus & conformatio.*

b. Vix ſanciri de hoc certa & conſtans poteſt regula, quoniam totum hoc, quidquid eſt, ex moribus regionum auditorumque pendere videtur; & quod decorum illis, his inſipidum importunumque apparere non raro ſolet.

c. Quia tamen ſunt leges in hoc genere aliquae, quas natura ipſa & decentia dictaſſe videntur, & quae propterea apud omnem gentem valere debent, de his ſaltem monendus eſt tiro.

d. Reſpiciunt autem haec monita *corpus totum* univerſe, tum *partes aliquas corporis* ſingillatim.

1. De corpore quidem univerſe primum valet.

a. Quod monet Fab. Quintil. Actionem nunquam esse deliciis nimiaque cura molliendam, ac proinde in omni corporis conformatione providenter fugiendum, quidquid molle & effoeminatum, nimis exquisitum & elegans est, aut affectatam quandam diligentiam artemque redolet.

b. Status totius corporis sit erectus & celsus; modica interdum inclinatio; & flexio laterum virilis; non vero corpus antrorsum perpetuo recurvum; nec ad latus recline, multo minus cathedrae inurbane incumbens.

c. Ne in statuae morem obrigescat, quod facere ajebat Epictetus, quasi si veru deglutisset orator.

d. Ne crebris & incompositis corporis commotionibus agitetur vehementius in morem furentis Sybillae, *cui — rabie fera corda tument.*

c. Ne in cathedra circumcurset orator, quod a Virginio aliquando in oratore hujusmodi Romae facete reprehensum legimus, cum ex eo quaesivisset, *quot demum passuum millia declamasset.*

2. In partibus deinde corporis diligenter admodum curet.

a. *Caput*, ut ne sit seniliter demissum, obstipum, aut in cervicem reflexum: — nisi

ſi ad languorem exprimendum, ad latus rejectum. — Indecora eſt multa capitis agitatio. — Annuimus tamen aliquando, cum damus; — abnuimus negantes, — averſione autem horrorem indicamus.

b. *Frons* exporrecta diffuſaque hilaritatis eſt indicium; — corrugata caperataque, ſuperciliis contractis ſervitatem denotabit.

c. *Oculi* indices animi ſunt, &, ut ait Cicero: *Dominatus est omnis oculorum.* In coelum ſublati precantem; — averſi renuentem & faſtidientem; — demiſſi modeſtum & pudentem; — clauſi meditantem; — defixi in eundem locum ſtupentem extremeque dolentem ſignificant. Egregie huc facit, quod Cicero l. 3. de Orat. c. 59. habet: *Oculos natura nobis, ut equo & leoni ſetas, caudam, aures, ad motus animorum declarandos dedit.*

d. *Brachia* nec deorſum incompoſita pendeant, nec immodice projiciantur, niſi in affectu vehementiori. — Siniſtrum quieſcit plerumque; dextrum ſupra oculos nunquam attollitur. Percutere ſuggeſtum, pedibusque ſupplodere, non niſi a plebe fortaſſis probatur.

e. *Manus* ſiniſtra *nunquam ſola geſtum facit*, inquit Fabius; dextra fere ſemper utendum, qua praecipue conſtat actio. — Pe-

Pectori illam admovet, cum de se ipso loquitur orator; — ori admota silentium suadentis habitus est. — Extenta audientiam facit; silentiumque indicit. — Optime a sinistro incipit latere, dextroque deponitur. — Utramque ad dispertienda & enumeranda per digitos argumenta feliciter adhibuit Hortensius. — Manus digiti nunquam sint dispassi. — Sed quis minutim persequatur singula? Tempus, & excellentium in arte imitatio uberiora docebunt.

1. *Annot.* Cum aliud voce, aliud gestu exprimitur, soloecismus gestus appellatur a scriptoribus. Hunc commisisse fertur Orator ille, qui coelum appellans terram intuebatur, gestuque commonstrabat.

2. Quoniam solus gestus, vultusque diversus animi motus, & indicare & ciere possunt, haec *eloquentia silens*, *vel silentium eloquens* a nonnullis vocatum est. Tale est silentium Ajacis Homerici apud inferos ne unum quidem verbum instanti Ulyssi respondentis; — Tale est silentium Didonis Virgilianae itidem apud inferos ad Aeneae preces & excusationes obstinatae; quo utroque summus animi dolor cum indignatione conjunctus exprimitur. — Adde his duobus exemplis illustre tertium Romanorum militum, qui ad furculas Caudinas sub jugum a Samnitibus missi sunt, & quod Calavius apud Livium l. 9. c. 6. sic interpretatur: *Silentium illud obstinatum, fixosque in terram oculos, & surdas ad omnia solatia aures, & pu-*

pudorem intuendae lucis, ingentem molem irarum ex alto animo cientis indicia esse: aut se Romana ignorare ingenia; aut silentium illud Samnitibus flebiles brevi clamores, gemitusque excitaturum.

FABULAE.

Muli & latrones.

Phaedrus L. II. Fab. 7.

Muli gravati ſarcinis ibant duo,
Unus gerebat fiſcos cum pecunia,
Alter tumentes multo ſaccos hordeo.
Ille onere dives, celſa cervice eminens,
Clarumque collo jactans tintinnabulum:
Comes quieto ſequitur, & placido gradu,
Subito latrones ex inſidiis advolant:
Interque caedem ferro mulum trucidant,
Diripiunt nummos, negligunt vile hordeum.
Spoliatus igitur caſus cum fleret ſuos,
Equidem, inquit alter, me contemptum gaudeo.
Nam nihil amiſi: nec ſum laeſus vulnere.
Hoc argumento tuta eſt hominum tenuitas,
Magno periculo ſunt opes obnoxiae.

Naufragium Simonidis.

Phaedrus F. IV. Fab. 21.

Homo doctus in ſe ſemper divitias habet.
Simonides, qui ſcripſit egregium melos;
Quo paupertatem ſuſtineret facilius,
Circumire coepit urbes Aſiae nobiles,
Mercede pacta laudem victorum canens.
Hoc genere quaeſtus poſtquam locuples factus eſt,
Venire in patriam voluit curſu pelagio;

(Erat

(Erat autem natus, ut ajunt, in Ceo insula)
Ascendit navem, quam tempestas horrida
Simul & vetustas medio dissolvit mari,
Hi zonas, illi res pretiosas colligunt,
Subsidium vitae. Quidam curiosior,
Simonide! tu ex opibus nil sumis tuis?
Mecum inquit, mea sunt cuncta. Tum pauci enatant,
Quia plures onere degravati perierunt.
Praedones adsunt; rapiunt quod quisque extulit,
Nudos relinquunt. Forte Clazomene prope
Antiqua fuit urbs, quam petierunt naufragi.
Hic litterarum quidam studio deditus,
Simonides qui saepe versus legerat,
Eratque absentis admirator maximus,
Sermone ab ipso cognitum, cupidissime
Ad se recepit; veste, nummis, familia
Hominem exornavit: caeteri tabulam suam
Portant, rogantes victum; quos casu obvius
Simonidis ut vidit: dixit, inquit, mea
Mecum esse cuncta; vos quod rapuistis, perit.

Canis infidelis & pastor.

Desbillons Fabul. Aesop. L. II. Fab. 34.

Oves custodiendas tradiderat cani,
Cani infideli pastor, ignarus mali.
Namque ille vitiis corruptus, mores feros
Luporum coeperat imitari, & plurimas
Ore impiato jam bidentes manderat.

Quod

Quod execrandum paſtor ut novit ſcelus,
Simul expiare morte ſcelerati parat,
Mene, canis inquit; me, quaſi ſi lupus forem,
Mactare poſſis, here mi, violenta manu?
Reſerva tales hoſtibus poenas lupis:
Prudensque ſerva me tibi addictum canem.
At paſtor: Hoſtes ſunt mihi quidem lupi:
Hoſtes ſed illi ſeſe profitentur meos:
Te contra, amicus qui videbaris mihi;
Nunc morte tanto digniorem judico,
Scelere lupino quod fefelleris fidem.
Hos fabula eſſe bis ſceleratos indicat,
Quos ad patrandum perfidia movit ſcelus.

Aſinus dominos mutans.

Desbillons L. III. Fab. 30.

Apud olitorem peragebat aſinus dies.
Multis laboribus, uti cenſebat quidem,
Frangi, enecari, paſtuque tenuiſſimo
Recreari ſolitus. Ergo ſeſe durius
Haberi, quam fas jusque vellent, credidit:
Jovem rogavit, ſortem ut mutaret ſuam;
Ejusque precibus exoratus Jupiter
Poſtinde figulo navare hunc operam jubet.
Sed ferre coenum, ac tegulas dum cogitur.
Hanc gravius etiam ferre fortunam incipit:
Mutare dominum, imprudens, rurſus excepit.
Rurſusque auditur, lege ſed poſita tamen,
Ut haec quaecunque fuerit ultima ſors, ferat;

Nec ſperet aliam deinde venturam vicem.
Is cum annuiſſet, obtigit coriario:
Tum: Quid rogavi? dixit lamentans, heros
Apud priores vivere ſatius fuit;
Namque ille poſtquam durus me laboribus
Necuerit, parcet ne corio quidem meo.
Quamvis acerba ſors erit, eam ſuſtine,
Ne pejor fiat, obtrectare ſi velis.

Ager in quo theſaurus.

Desbillons L. V. Fab. 7.

Sibi advenire ſentiens ſummam diem
Agricola, juſſit filios accedere;
Agrumque, dixit, quem relinquo, vos mala
Cavete ne diſſidia cogant vendere:
Defoſſus illic namque theſaurus latet;
Qua parte lateat, id vero ignorat pater.
At enim monenti credite, ac ligonibus
Raſtrisque glebas partem in omnem vertite:
Confidite, labor theſaurum eruet improbus,
Ditabitque omnes. Interim moritur ſenex.
Illi imperata facere (ſpes enim lucri
Stimulat) terramque fodere, quam longe eſt dies.
Theſaurus; qualem cupierant, non eſt quidem
Inventus usquam; ſed agrum dum ſic excolunt,
Cultura peperit ipſa perpetuas opes.
Homini theſaurus ingens, aſſiduus labor.

Ede-

Edera, & murus.

Desbillons L. VIII. Fab. 6.

Permitte; dixit edera muro blandiens,
Ut fragilis, & me ſuſtinere neſcia
Tibi tam ſtabili tamque firmo adhaeream.
Haud renuit ille; at ſentiens hanc poſtmodum,
Stirpibus hac, illac furtim permeantibus,
Caementa ſolvere, & lapidum compaginem
Laxare, queritur; herumque communem rogat,
Disrumpere velit nexibus conſortium
Male ominatis initum, & ejicere procul
Plantam nocivo ſibi jugatam foedere.
Tudit querentis herus preces, & approbat;
Stirpesque tentat noxias revellere;
At cum per omnes muri penetraſſent cavos,
Tenacibusque haererent internodiis,
Non poſſe jam revelli eas intelligit,
Quin ipſe murus parte labefactus ſui
Majore, vel inclinetur, vel etiam ruat:
Ideoque, damnum ne eveniat majus, timens,
Malum dirimere non audet commercium.
Hunc fabula monet, quisquis arcto ſe ſinit
Temere alligari ſocietatis vinculo.

NAR-

NARRATIONES.

Dionyſius & Damocles.

Cicero *Tuſcul.* QQ. L. V.

Cum quidam ex ejus aſſentatoribus Damocles commemoraret in ſermone copioſas ejus opes, majeſtatem, dominatus, rerum abundantiam magnarum, negaretque unquam beatiorem quemquam fuiſſe; Visne igitur, inquit, Damocle; quoniam haec te vita delectat, ipſe eamdem deguſtare, & fortunam experiri meam? cum ſe ille cupere dixiſſet, collocari juſſit hominem in aureo lecto, ſtrato pulcherrimo, textibili ſtragulo, magnificis operibus picto; abacosque complures ornavit argento auroque caelato. Tum ad menſam eximia forma pueros electos juſſit conſiſtere, eosque nutum ejus intuentes diligenter miniſtrare. Aderant unguenta, coronae, incendebantur odores; menſae conquiſitiſſimis epulis extruebantur. Fortunatus ſibi Damocles videbatur. In hoc medio apparatu fulgentem gladium e lacunari, ſeta equina aptum demitti juſſit, ut impenderet illius beati cervicibus. Itaque nec pulchros illos miniſtratores aſpiciebat, nec plenum artis argentum, nec manum porrigebat ad menſam, jam ipſae defluebant coronae: denique exoravit Tyrannum, ut abire liceret, quod jam beatus nollet eſſe. Satisne videtur declaraſſe Dionyſius; nihil ei eſſe beatum, cui ſemper aliquis terror impendeat?

Daedalus & Icarus.

Ovidius Metamorphoſ. L. VIII.

Daedalus interea Creten, longumque peroſus
Exilium, tactusque loci natalis amore,
Clauſus erat pelago. Terras licet, inquit, & undas
Obſtruat, at coelum certe patet, ibimus illac:
Omnia poſſideat, non poſſidet, aëra Minos.
Dixit, & ignotas animum dimittit in artes,
Naturamque novat; nam ponit in ordine pennas,
A minima coeptas, longam breviore ſequente,
Ut clivo creviſſe putes: ſic ruſtica quondam
Fiſtula diſparibus paullatim ſurgit avenis.
Tum lino medias, & ceris alligat imas,
Atque ita compoſitas parvo curvamine flectit,
Ut veras imitetur aves. Puer Icarus una
Stabat, & ignarum ſua ſe tractare pericla,
Ore renidenti, modo quas vaga moverat aura,
Captabat plumas, flavam modo pollice ceram
Mollibat, luſuque ſuo mirabile patris
Impediebat opus. Poſtquam manus ultima coepto
Impoſita eſt, geminas opifex libravit in alas
Ipſe ſuum corpus, motaque pependit in aura.
Inſtruit & natum; medioque ut limite curras,
Icare, ait, moneo: ne ſi demiſſior ibis,
Unda gravet pennas; ſi celſior ignis adurat.
Inter utrumque vola: nec te ſpectare Bootem
Aut Helicem jubeo, ſtrictumque Orionis enſem.
Me duce carpe viam. Pariter praecepta volandi
Tradit, & ignotas humeris accommodat alas.

In-

Inter opus, monitusque genæ maduere ſeniles,
Et patriæ tremuere manus, dedit oſcula nato
Non iterum repetenda ſuo pennisque levatus
Antevolat, comitique timet (velut ales ab alto
Quæ teneram prolem produxit in aëra nido)
Hortaturque ſequi; damnoſasque erudit artes;
Et movet ipſe ſuas, & nati reſpicit alas.
Cum puer audaci cœpit gaudere volatu,
Deſeruitque ducem, cœlique cupidine tactus
Altius egit iter, rapidi vicinia ſolis
Mollit odoratas pennarum vincula ceras.
Tabuerant ceræ, nudos quatit ille lacertos,
Remigioque carens non ullas percipit auras;
Oraque cœrulea patrium clamantia nomen
Excipiuntur aqua, quæ nomen traxit ab illo.
At pater infelix, nec jam pater, Icare, dixit,
Icare, dixit, ubi es? qua te regione requiram?
Icare, dicebat, pennas aſpexit in undis;
Devovitque ſuas artes, corpusque ſepulchro
Condidit, & tellus a nomine dicta ſepulti eſt.

Milo & Clodius.

Cicero Orat. pro T. Ann. Milon. c. 10.

Milo autem, cum in ſenatu fuiſſet, eo die, quoad ſenatus demiſſus eſt, domum venit, calceos, & veſtimenta mutavit, paullisper, dum ſeſe uxor (ut fit) comparat, commoratus eſt. Deinde profectus eſt id temporis, cum jam Clodius, ſiquidem eo die Romam venturus erat, redire potuiſſet. Ob-

viam fit ei Clodius expeditus in equo, nulla rheda, nullis impedimentis, nullis Græcis comitibus, ut folebat; fine uxore, quod nunquam fere; cum hic infidiator, qui iter illud ad cædem faciendam apparaffet, cum uxore veheretur in rheda penulatus, vulgi magno impedimento, ac muliebri: & delicato ancillarum puerorumque comitatu. Fit obviam Clodio ante fundum ejus, hora fere undecima, aut non multo fecus. Statim complures cum telis in hunc faciunt de loco fuperiori impetum; adverfi rhedarium occidunt. Cum autem hic de rheda, rejecta penula, defiluiffet, feque acri animo defenderet; illi, qui erant cum Clodio, gladiis eductis, partim recurrere ad rhedam, ut a tergo Milonem adorirentur; partim, quod hunc jam interfectum putarent, cædere incipiunt ejus fervos, qui poft erant, ex quibus, qui animo fideli in dominum erant, & præfentes fuerunt, partim occifi funt; partim cum ad rhedam pugnari viderent, & domino fuccurrere prohiberentur; Milionemque occifum etiam ex ipfo Clodio audirent, & ita effe putarent; fecerunt id fervi Milonis (dicam enim non derivandi criminis cauffa, fed ut factum eft) neque imperante, neque fciente, neque præfente domino, quod fuos quisque fervos in tali re facere voluiffet. Hæc, ficut expofui, ita gefta funt, judices, infidiator fuperatus; vi victa vis, vel potius oppreffa virtute audacia eft.

ALE-

Alexandri M. morbus & curatio.

Curtius L. III. 5.

Mediam Cydnus amnis, de quo paullo ante dictum eſt, interfluit: & tunc æſtas erat, cujus calor non aliam magis quam Ciliciæ oram vapore ſolis accendit, & diei fervidiſſimum tempus cœperat: pulvere ac ſudore ſimul perfuſum Regem invitavit liquor fluminis, ut calidum adhuc corpus ablueret. Itaque veſte depoſita in conſpectu agminis (decorum quoque futurum ratus, ſi oſtendiſſet ſuis levi, ac parabili cultu corporis ſe eſſe contentum) deſcendit in flumen: vixque ingreſſi ſubito horrore artus rigere cœperunt: pallor deinde ſuffuſus eſt, & totum propemodum corpus vitalis calor reliquit. Expiranti ſimilem miniſtri manu excipiunt, nec ſatis compotem mentis, in tabernaculum deferunt. Ingens ſollicitudo, & pene jam luctus in caſtris erat. Flentes querebantur. „ In „ tanto impetu curſuque rerum, omnis ætatis ac „ memoriæ clariſſimum Regem, non in acie ſal- „ tem, non ab hoſte dejectum, ſed abluentem „ aqua corpus ereptum eſſe, & extinctum. Inſta- „ re Darium, victorem antequam vidiſſet hoſtem: „ ſibi easdem terras, quas victores peragraſſent, „ repetendas, omnia aut ipſos, aut hoſtes popu- „ latos. Per vaſtas ſolitudines, etiamſi nemo inſe- „ qui velit, euntes, fame, atque inopia debella- „ ri poſſe. Quem ſignum daturum fugientibus, „ quem auſurum Alexandro ſuccedere? Jam ut ac

„ Hellefpontum fuga penetrarent, claffem, qua
„ tranfeant, quem præparaturum? Rurfus in ipfum
„ Regem mifericordia verfa; illum florem juven-
„ tæ, illam vim animi, eundem Regem, & com-
„ militonem, divelli a fe, & abripi" immemores
fui querebantur.

Inter hæc liberius meare fpiritus cœperat, allevabat Rex oculos, & paulatim redeunte animo circumftantes amicos cognoverat, laxataque vis morbi ob hoc folum videbatur, quia magnitudinem mali fentiebat. Animum autem ægritudo corporis urgebat; quippe Darium quinto die in Cilicia fore nunciabatur, vinctum ergo fe tradi, & ignobili morte in tabernaculo fuo extingui fe querebatur. Admiffisque amicis pariter, & medicis:
„ in quo me, inquit, articulo rerum mearum for-
„ tuna deprehenderit, cernitis. Strepitum hoftilium
„ armorum exaudire mihi videor, & qui ultro in-
„ tuli bellum, jam provocor. Darius ergo, quum
„ tam fuperbas litteras fcriberet, fortunam meam
„ in confilio habuit: fed nequidquam, fi mihi ar-
„ bitrio meo curari licet. Lenta remedia, & fe-
„ gnes medicos non expetunt tempora mea; vel
„ mori ftrenue, quam tarde convalefcere mihi me-
„ lius eft. Proinde, fi quid opis, fi quid artis in
„ medicis eft, fciant, me non tam mortis, quam
„ belli remedium quærere.

Ingentem omnibus incufferat curam tam præceps temeritas ejus; ergo pro fe quisque precari cœpere, ne feftinatione periculum augeret, fed

effet

esset in potestate medentium: inexperta remedia haud injuria ipsis esse suspecta, quum ad perniciem ejus etiam a latere ipsius pecunia sollicitaret hostis (quippe Darius mille talenta interfectori Alexandri daturum se pronunciari jusserat). Itaque ne ausurum quidem quemquam arbitrabantur experiri remedium, quod propter novitatem posset esse suspectum.

Erat inter nobiles medicos e Macedonia Regem sequutus Philippus, natione Arcanan, fidus admodum Regi: puero comes, & custos salutis datus: qui eum non Regem modo, sed etiam ut alumnum, eximia caritate diligebat. Is non præceps se, strenuum remedium afferre, tantamque vim morbi potione medicata levaturum esse promisit. Nulli promissum ejus placebat, præter ipsum, cujus periculo pollicebatur. Omnia quippe facilius, quam moram perpeti poterat: arma, & acies in oculis erant, & victoriam in eo positam esse arbitrabatur. Si tantum ante signa stare potuisset: id ipsum, quod post diem tertiam medicamentum sumpturus esset (ita enim medicus prædixerat) ægre ferens. Inter hæc a Parmenione, fidissimo purpuratorum, litteras accipit, quibus ei denunciabat, ne salutem suam Philippo committeret, mille talentis a Dario, & spe nuptiarum sororis ejus esse corruptum.

Ingentem animo sollicitudinem litteræ incusserant: & quidquid in utramque partem aut metus, aut spes subjecerat: secreta æstimatione pensabat. „ Bibere perseverem? Ut si venenum datum fue-

„ rit, ne immerito quidem, quidquid acciderit, „ eveniſſe videatur? Damnem medici fidem? in „ tabernaculo ergo me opprimi patiar? At ſatius „ eſt alieno me mori ſcelere, quam metu meo.“ Diu animo in diverſa verſato, nulli, quid ſcriptum eſſet enunciat; epiſtolamque, ſigillo annuli ſui impreſſam, pulvino, cui incumbebat, ſubjecit. Inter has cogitationes biduo aſſumto, illuxit a medico deſtinatus dies, & ille cum poculo, in quo medicamentum diluerat, intravit. Quo viſo Alexander levato corpore in cubitum, epiſtolam a Parmenione miſſam ſiniſtra manu tenens accipit poculum, & haurit interritus: tum epiſtolam Philippum legere jubet, nec a vultu legentis movet oculos, ratus, aliquas conſcientiæ notas in ipſo ore poſſe deprehendere.

Ille, epiſtola perlecta, plus indignationis, quam pavoris oſtendit; projectisque amiculo, & litteris ante lectum; „Rex, inquit, ſemper quidem ſpiritus meus ex te pependit, ſed nunc ve- „ re arbitror, ſacro, ac venerabili ore trahitur. „ Crimen parricidii, quod mihi objectum eſt, tua „ ſalus diluet, ſervatus a me vitam mihi dederis, „ oro quæſoque; amiſſoque metu patere, medi- „ camentum concipi venis, laxa paullisper animum, „ quem intempeſtiva ſollicitudine amici ſane fide- „ les, ſed moleſte ſeduli turbant.“ Non ſecurum modo hæc vox, ſed etiam lætum Regem, ac plenum bonæ ſpei fecit. Itaque, „Si dii, inquit, „ Philippe, tibi permiſiſſent, quo maxime modo „ animum velles experiri meum, alio profecto

„ vo-

„ voluiſſes, ſed certiore quam expertus es, ne
„ optaſſes quidem: hac epiſtola accepta, tamen,
„ quod dilueras, bibi, & nunc credo, te non
„ minus pro tua fide, quam pro mea ſalute eſſe
„ ſollicitum." Hæc eloquutus dextram Philippo offert.

Ceterum tanta vis medicaminis fuit, ut, quæ ſequuta ſunt, criminationem Parmenionis adjuverint; interclufus ſpiritus arcte meabat, nec Philippus quidquam inexpertum omiſit; ille fomenta corpori admovit, ille torpentem, nunc cibi, nunc vini odore excitavit. Atque ut primum mentis compotem eſſe ſenſit, modo matris, ſororumque, modo tantæ victoriæ appropinquantis admonere non deſtitit. Ut vero medicamentum ſe diffudit in venas, & ſenſim toto corpore ſalubritas percipi potuit; primo animus vigorem ſuum, deinde corpus quoque exſpectatione maturius recuperavit: quippe poſt tertium diem, quum in hoc ſtatu fuerat in conſpectum militum venit. Nec avidius ipſum Regem, quam Philippum intuebatur exercitus; pro ſe quisque dextram ejus amplexi grates habebant, velut præſenti Deo; namquam haud facile dictu eſt, præter ingenitam illi genti erga Reges ſuos venerationem, quantum hujus quoque Regis vel admirationi dediti fuerint, vel caritate flagraverint.

Jam primum nihil niſi divina ope aggredi videbatur; nam quum eſſet præſto ubique fortuna, temeritas in gloriam ceſſerat. Aetas quoque vix tantis matura rebus, ſed abunde ſufficiens omnia

etiam ejus opera honeſtabat. Et quæ leviora haberi ſolent, plerumque in re militari gratiora vulgo ſunt: exercitatio corporis inter ipſos, cultus habitusque paullulum a privato abhorrens, militaris vigor: queis ille vel ingenii dotibus, vel animi artibus, ut pariter carus ac venerandus eſſet, effecerat.

Abdolominus creatus rex.

Curtius L. IV. I.

Ipſe in Phœnicem deinde deſcendit, & oppidum Byblon traditum recepit. Inde ad Sidona ventum eſt, urbem vetuſtate, famaque Conditorum inclytam. Regnabat in ea Strato, Darii opibus adjutus; ſed quia deditionem magis popularium, quam ſua ſponte fecerat, regno viſus indignus; Hephæſtionique permiſſum, ut quem eo faſtigio Sidones digniſſimum arbitrarentur, conſtitueret Regem. Erant Hephæſtioni hoſpites clari inter ſuos juvenes, qui facta ipſis poteſtate regnandi, negaverunt, „quemquam patrio more in id faſti„gium recipi, niſi regia ſtirpe ortum.“ Admiratus Hephæſtio magnitudinem animi ſpernentis, quod alii per ignes, ferrumque peterent. „Vos „quidem macti virtute, inquit, eſtote, qui pri„mi intellexiſtis, quando majus eſſet, regnum fa„ſtidire, quam accipere. Ceterum, date aliquem „regiæ ſtirpis, qui meminerit a vobis acceptum „habere ſe regnum.“

At

At illi, quum multos imminere tantæ ſpei cernerent, ſingulis amicorum Alexandri, ob nimiam regni cupiditatem, adulantes, ſtatuunt, „nemi-„ nem eſſe potiorem, quam Abdolominum quem-„ dam, longa quidem cognatione ſtirpi regiæ ad-„ nexum, ſed ob inopiam ſuburbanum hortum „ exigua colentem ſtipe." Cauſſa ei paupertatis, ſicut pleriſque, probitas erat, intentusque operi diurno, ſtrepitum armorum, qui totam Aſiam concuſſerat, non exaudiebat. Subito deinde, de quibus ante dictum eſt, cum regiæ veſtis inſignibus hortum intrant, quem forte ſteriles herbas eligens, Abdolominus repurgabat. Tunc rege eo ſalutato, alter ex his, „Habitus inquit, hic, quem cer-„ nis in meis manibus; cum iſto ſqualore permu-„ tandus tibi eſt. Ablue corpus illuvie æternis-„ que ſordibus ſqualidum: cape Regis animum, „ & in eam fortunam, qua dignus es, iſtam con-„ tinentiam profer. Et quum in regali ſolio reſi-„ debis, vitæ, necisque omnium Civium domi-„ nus, cave obliviſcaris hujus ſtatus, in quo ac-„ cipis regnum; imo hercule, propter quem."

Somnio ſimilis res Abdolomino videbatur. Interdum, „ſatisne ſani eſſent, qui tam proterve „ ſibi illuderent, percunctabatur." Sed ut cunctanti ſqualor ablutus eſt, & injecta veſtis purpura auroque diſtincta, & fides a jurantibus facta: ſero jam Rex iisdem comitantibus, in regiam pervenit. Fama, ut ſolet, ſtrenue tota urbe diſcurrit: aliorum ſtudium, aliorum indignatio eminebat: ditiſſimus quisque humilitatem, inopiamque ejus

apud amicos Alexandri criminabatur. Admitti eum Rex protinus juſſit, diuque contemplatus, „Corporis, inquit, habitus famæ generis non repugnat, ſed libet ſcire, inopiam qua patientia tuleris. Tum ille, Utinam, inquit, eodem animo regnum pati poſſim; hæ manus ſuffecere deſiderio meo, nihil habenti, nihil defuit.“

Magnæ indolis ſpecimen ex hoc ſermone Abdolomini cœpit. Itaque non Stratonis modo regiam ſupellectilem attribui ei juſſit; ſed pleraque etiam ex perſica præda: regionem quoque urbi appoſitam ditioni ejus adjecit.

Petræ expugnatio.

Curtius. L. VII. 11.

Et cetera quidem pacaverat Rex. Una erat petra, quam Arimazes Sogdianus cum XXX. millibus armatorum obtinebat; alimentis ante congeſtis, quæ tantæ multitudini vel per biennium ſuppeterent. Petra in altitudinem XXX. eminet ſtadia, circuitu C, & L. complectitur, undique abſciſſa, & abrupta, ſemita perangusta aditur. In medio altitudinis ſpatio habet ſpecum, cujus os arctum, & obſcurum eſt; paullatim deinde ulteriora panduntur: ultima etiam altos receſſus habent: fontes per totum fere ſpecum manant, e quibus collatæ aquæ per prona montis flumen emittunt.

Rex loci difficultate ſpectata ſtatuerat inde abire: cupido deinde inceſſit animo, naturam quoque fatigandi. Prius tamen quam fortunam obſidio-

ſdionis experiretur, Cophan (Artabazi hic filius erat), miſit ad barbaros, qui ſuaderet, ut dederent rupem. Arimazes loco fretus ſuperbe multa reſpondit. Ad ultimum „an Alexander volare poſſit?“ interrogat. Quæ nunciata Regi, ſic accendere animum, ut adhibitis, cum quibus conſultare erat ſolitus indicaret inſolentiam barbari eludentis ipſos, quia pennas non haberent. „Se autem proxima nocte „effecturum, ut crederet Macedones etiam vola-„re. Trecentos, inquit, perniciſſimos juvenes ex „ſuis quisque copiis perducite ad me, qui per cal-„les & pene invias rupes domi pecora agere con-„ſueverint.“ Illi præſtantes & levitate corporum, & ardore animorum ſtrenue adducunt: quos intuens Rex, „Vobiſcum, inquit, o juvenes, & „mei æquales, urbium invictarum ante munimen-„ta ſuperavi, montium Juga perenni nive obruta „emenſus ſum, anguſtias Ciliciæ intravi: Indiæ „ſine laſſitudine vim frigoris ſum perpeſſus. Et „mei documenta vobis dedi, & veſtri habeo. Pe-„tra, quam videtis, unum aditum habet, quem „barbari obſident: cetera negligunt: nullæ vigi-„liæ ſunt, niſi quæ caſtra noſtra ſpectant. Inve-„nietis viam, ſi ſolerter rimati fueritis aditus fe-„rentes ad cacumen. Nihil tam alte natura con-„ſtituit, quo virtus non poſſit eniti. Experien-„do quæ ceteri deſperaverunt, Aſiam habemus „in poteſtate. Evadite in cacumen, quod quum „ceperitis, candidis velis ſignum mihi dabitis. „Ego copiis admotis hoſtem in nos a vobis con-„vertam, præmium erit ei, qui primus occupa-

„verit

„ verit verticem, talenta X: uno minus accipiet, „ qui proximus ei venerit: eademque ad decem „ homines ſervabitur portio. Certum autem ha- „ beo, vos non tam liberalitatem intueri meam „ quam voluntatem.“ His animis regem audierunt. ut jam cepiſſe verticem viderentur. Dimiſſique fer- reos cuneos, quos inter ſaxa deſigerent, validos- que funes parabant. Rex circumvectus petram, qua minime aſper ac præruptus aditus videbatur: ſecunda vigilia, quod bene verteretur, ingredi jubet. Illi alimentis in biduum ſumtis, gladiis modo atque haſtis armati ſubire cœperunt. Ac primo pedibus ingreſſi ſunt: deinde ut in prærupta perventum eſt, alii manibus eminentia ſaxa complexi levavere ſe- met; alii adjectis funium laqueis evaſere, quum cuneos inter ſaxa deſigerent, queis gradus ſubinde inſiſterent. Diem inter metum laboremque conſum- ſerunt. Per aſpera enixis duriora reſtabant, & creſcere altitudo petræ videbatur. Illa vero mi- ſerabilis erat facies, quum ii, quos inſtabilis gra- dus fefellerat, ex præcipiti devolverentur: mox eadem in ſe patienda alieni caſus oſtendebat exem- plum. Per has tamen difficultates enituntur in verticem montis, omnes fatigatione continuati la- boris affecti, quidam multati parte membrorum, pariterque eos & nox & ſomnus oppreſſit. Stra- tis paſſim corporibus in inviis & aſperis ſaxorum, periculi inſtantis obliti in lucem quieverunt: tan- demque, velut ex alto ſopore excitati, occultas, objectasque ipſis valles rimantes, ignari, in qua parte petræ tanta vis hoſtium condita eſſet, fu-

mum

mum specus infra seipsos evolutum notaverunt. Ex quo intellectum est, illam hostium latebram esse. Itaque hastis imposuere, quod convenerat signum: totoque e numero duos & XXX. in ascensu interiisse cognoscunt.

Rex non cupidine magis potiundi loci, quam vicem eorum, quos ad tam manifestum periculum miserat, sollicitus, toto die cacumina montis intuens restitit: noctu demum quum obscuritas conspectum oculorum ademisset, ad curandum corpus recessit.

Postero die nondum satis clare luce primus vela, signum capti verticis, conspexit. Sed ne falleretur acies; dubitare cogebat varietas cœli, nunc internitente lucis fulgore, nunc condito. Verum ut liquidior lux apparuit cœlo, dubitatio exempta est: vocatumque Cophan, per quem barbarorum animos tentaverat, mittit ad eos, qui moneret, nunc saltem salubrius consilium inirent: sin autem fiducia loci perseverarent, ostendi a tergo jussit, qui ceperant verticem.

Cophas admissus suadere cœpit Arimaxi, petram tradere, gratiam Regis inituro, si tantas res molientem in unius rupis obsidione hærere non coëgisset. Ille ferocius superbiusque quam antea locutus abire Cophan jubet. At is prehensum manu barbarum rogat, ut secum extra specum prodeat; quo impetrato juvenes in cacumine ostendit, ejusque superbiæ haud immerito illudens, pennas, ait, habere milites Alexandri. Jamque e Macedonum castris signorum concentus, & totius exercitus clamor audiebatur. Ea res, sicut pleraque bel-

belli vana, & inania; barbaros ad deditionem traxit: quippe occupati metu, paucitatem eorum, qui a tergo erant, æſtimare non poterant. Itaque Cophan (nam trepidantes reliquerat) ſtrenue revocant; & cum eo XXX. principes mittunt, qui petram tradant, & ut incolumibus abire liceat, paciſcantur.

Pugna Horatiorum cum Curiatiis & ſororis cædes.

Livius Decad. I. L. I.

In duobus tum exercitibus erant trigemini fratres nec ætate, nec viribus diſpares. Horatios, Curiatiosque fuiſſe ſatis conſtat, nec ferme res antiqua alia eſt nobilior: tamen in re tam clara, nominum error manet, utrius populi Horatii, utrius Curiatii fuerint. Auctores utroque trahunt, plures tamen invenio, qui Romanos Horatios vocent. Hos ut ſequar, inclinat animus. Cum trigeminis agunt reges, ut pro ſua quisque patria dimicent ferro; ibi imperium fore, unde victoria fuerit; nihil recuſatur: tempus, & locus convenit. Prius quam dimicarent, fœdus ictum inter Romanos, & Albanos eſt, his legibus, ut cujus populi cives eo certamine viciſſent, is alteri populo cum bona pace imperaret.

Fœdere icto trigemini, ſicut convenerat, arma capiunt. Cum ſui utrosque adhortarentur, deos patrios, patriam, ac parentes, quidquid civium domi; quidquid in exercitu ſit, illorum tunc

ar-

arma, illorum intueri manus: feroces, & ſuopte ingenio & pleni adhortantium vocibus in medium inter duas acies procedunt. Conſederant utrinque pro caſtris duo exercitus, periculi magis præſentis, quam curæ expertes. Quippe imperium agebatur, in tam paucorum virtute atque fortuna poſitum. Itaque ergo erecti, ſuſpenſique in minime gratum ſpectaculum, animo intenduntur. Datur ſignum: infeſtisque armis, velut acies, terni juvenes, magnorum exercituum animos gerentes, concurrunt: nec his, nec illis piriculum ſuum, publicum imperium, ſervitiumque obverſatur animo, futuraque ea deinde patriæ fortuna, quam ipſi feciſſent. Ut primo ſtatim concurſu increpuere arma, micantesque fulſere gladii, horror ingens ſpectantes perſtringit, & neutro inclinata ſpe torpebat vox, ſpiritusque. Conſertis deinde manibus, cum jam non motus tantum corporum, agitatioque anceps telorum, armorumque, ſed vulnera quoque, & ſanguis ſpectaculo eſſent: duo Romani, ſuper alium alius, vulneratis tribus Albanis exſpirantes corruerunt. Ad quorum caſum cum conclamaſſet gaudio albanus exercitus, Romanas legiones jam ſpes tota, nondum tamen cura deſeruerat, exanimes vice unius, quem tres Curiatii circumſteterunt. Forte is integer fuit, ut univerſis ſolus nequaquam par, ſic adverſus ſingulos ferox. Ergo ut ſegregaret pugnam eorum, capeſſit fugam, ita ratus ſecuturos, ut quemque vulnere affectum corpus ſineret. Iam aliquantum ſpatii ex eo loco, ubi pugnatum eſt, aufugerat, eum reſpiciens videt

det magnis intervallis ſequentes; unum haud procul ab ſeſe abeſſe: in eum magno impetu rediit. Et tum Albanus exercitus inclamat Curiatiis, ut opem ferant fratri, jam Horatius cæſo hoſte victor ſecundam pugnam petebat. Tum clamore, qualis ex inſperato faventium ſolet, Romani adjuvant militem ſuum; & ille defungi prœlio feſtinat. Prius itaque quam alter, qui nec procul aberat, conſequi poſſet, & alterum Curiatium conficit, jamque æquato Marte ſinguli ſupererant, ſed nec ſpe, nec viribus pares. Alterum intactum ferro corpus, & geminata victoria, ferocem in certamen tertium dabant. Alter feſſum vulnere, feſſum curſu trahens corpus, victusque fratrum ante ſe ſtrage, victori objicitur hoſti. Nec illud prœlium fuit. Romanus exultans: Duos, inquit, fratrum manibus dedi; tertium cauſſæ belli hujusce, ut Romanus Albano imperet, dabo. Male ſuſtinenti arma gladium ſuperne jugulo defigit: jacentem ſpoliat. Romani ovantes, ac gratulantes Horatium accipiunt eo majore cum gaudio, quo propius metum res fuerat. Ad ſepulturam inde ſuorum nequaquam paribus animis vertuntur: quippe imperio alteri aucti, alteri ditionis alienæ facti. Sepulcra exſtant, quo quisque loco cecidit. Duo Romana uno loco propius Albam, tria Albana Romam verſus, ſed diſtantia locis, & ut pugnatum eſt. Prius quam inde digrederentur, roganti Metio ex fœdere icto quid imperaret, imperat Tullus, uti juventutem in armis habeat, uſurum ſe eorum opera, ſi bellum cum Vejentibus foret. Ita exercitus inde domos abducti.

Prin-

Princeps Horatius ibat, trigemina ſpolia præ ſe gerens: cui ſoror virgo, quæ deſponſa uni ex Curiatiis fuerat, obvia ante portam Capenam fuit; cognitoque ſuper humeros fratris paludamento ſponſi, quod ipſa confecerat, ſolvit crines. & flebiliter nomine ſponſum mortuum appellat. Movet feroci juveni animum comploratio ſororis in victoria ſua, tantoque gaudio publico. Stricto itaque gladio, ſimul verbis increpans, transfigit puellam: Abi hinc cum immaturo amore ad ſponſum, inquit, oblita fratrum mortuorum, vivique, oblita patriæ. Sic eat, quæcunque Romana lugebit hoſtem. Atrox viſum id facinus patribus plebique: ſed recens meritum facto obſtabat: tamen raptus in jus ad Regem. Rex ne ipſe tam triſtis ingratique ad vulgus judicii, aut ſecundum judicium ſupplicii auctor eſſet, concilio populi advocato. Duumviros, inquit, qui Horatio perduellionem judicent ſecundum legem, facio. Lex horrendi criminis erat. Duumviri perduellionem judicent. Si a Duumviris provocarit, provocatione certato, ſi vincent, caput obnubito: infelici arbori reſte ſuſpendito: verberato vel intra pomœrium, vel extra pomœrium. Hac lege Duumviri creati, qui ſe abſolvere non rebantur ea lege, ne innoxium quidem poſſe, cum condemnaſſent. Tum alter ex his: P. Horati, Tibi perduellionem judico, inquit, i, lictor colliga manus. Acceſſerat lictor, injiciebatque laqueum. Tum Horatius, auctore Tullo, clemente legis interprete, provoco, inquit, ita de provocatione certatum ad populum eſt. Moti homines ſunt in eo judicio,

 maxi-

maxime P. Horatio patre proclamante, fe filiam jure cæfam judicare; nifi ita effet, patrio jure in filium animadverfurum. Orabat deinde, ne fe, quem paulo ante cum egregia ftirpe confpexiffent, orbum liberis facerent. Inter hæc fenex juvenem amplexus fpolia Curiatiorum fixa eo loco, qui nunc pila Horatia appellatur, oftentans: Hunccine, ajebat, quem modo decoratum, ovantemque victoria incedentem vidiftis, Quirites, eum fub furca vinctum inter verbera & cruciatus videre poteftis? Quod vix Albanorum oculi tam deforme fpectaculum ferre poffent. I, lictor, colliga manus, quæ paullo ante armata imperium populo Romano pepererunt. I, caput obnube liberatoris urbis huius, arbori infelici fufpende: verbera, vel intra pomœrium, modo inter illa pila, & fpolia hoftium; vel extra pomœrium, modo intra fepulchra Curiatiorum. Quo enim ducere hunc juvenem poteftis, ubi non fua decora eum a tanta fœditate fupplicii vindicent? Non tulit populus nec patris lacrimas, nec ipfius parem in omni periculo animum: abfolveruntque admiratione magis virtutis, quam jure cauffæ. Itaque ut cædes manifefta aliquo tamen piaculo lueretur: imperatum patri, ut filium expiaret pecunia publica. Is quibusdam piacularibus facrificiis factis, quæ deinde genti Horatiæ tradita funt, transmiffo per viam tigillo, capite adoperto, velut fub jugum mifit juvenem. Id hodie quoque publice femper refectum manet: Sororium tigillum vocant.. Horatiæ

tiæ ſepulcrum, quo loco corruerat icta, conſtructum ex ſaxo quadrato.

Plebs rom. quæ ſeceſſerat a Patribus, Menenii Agrippæ fabula reducitur. *Livius Decad. I. L. 2.*

Plebem Sicinio quodam auctore injuſſu conſulum in ſacrum montem ſeceſſiſſe, trans Anienem amnem, tria ab urbe millia paſſuum, ea frequentior fama eſt, quam, cujus Piſo auctor eſt, in Aventinum ſeceſſionem factam eſſe. Ibi ſine ullo duce, vallo, foſſaque communitis caſtris, quieti, rem nullam niſi neceſſariam ad victum ſumendo: per aliquot dies neque laceſſiti, neque laceſſentes ſeſe tenuere. Pavor ingens in urbe: metuque mutuo ſuſpenſa erant omnia. Timere relicta ab ſuis plebes violentiam patrum: timere patres reſidem in urbe plebem, incerti, manere eam, an abire mallent. Quamdiu autem tranquillam, quæ ſeceſſerit, multitudinem fore? quid futurum deinde, ſi quod externum interim bellum exiſtat? nullam profecto, niſi in concordia civium ſpem reliquam ducere. Eam per æqua, per iniqua reconciliandam civitati eſſe. Placuit igitur oratorem ad plebem mitti Menenium Agrippam, facundum virum, & quod inde oriundus erat, plebicarum. Is intromiſſus in caſtra, priſco illo dicendi, & horrido modo nihil aliud, quam hoc narraſſe fertur: Tempore, quo in homine non, ut nunc, omnia in uno conſentiebant; ſed ſingulis membris ſuum cui-

que consilium, suus sermo fuerat, indignatas reliquas partes, sua cura, suo labore, ac ministerio ventri omnia queri: ventrem in medio quietum, nihil aliud quam datis voluptatibus frui, conspirasse inde, ne manus ad os cibum ferrent, nec os acciperet datum, nec dentes conficerent. Hac ira, dum ventrem fame domare vellent, ipsa una membra, totumque corpus ad extremam tabem venisse. Inde apparuisse, ventris quoque haud segne ministerium esse: nec magis ali, quam alere eum, reddentem in omnes corporis partes hunc, quo vivimus, vigemusque, divisum pariter in venas maturum confecto cibo sanguinem. Comparando hinc quam intestina corporis seditio similis esset iræ plebis in patris: flexisse mentes hominum. Agi deinde de concordia cœptum, concessumque in conditiones, ut plebi sui magistratus essent, sacrosancti, quibus auxilii latio adversus consules esse; neve cui patrum capere eum magistratum liceret.

Mater Coriolanum infesto exercitu adversus Romanos venientem exarmat.

Livius Decad. I. L. 2.

Sp. Nautius jam, & Sex. Furius consules erant. Eos recensentes legiones, præsidia per muros, aliaque, in quibus stationes, vigiliasque esse placuerat, loca distribuentes, multitudo ingens pacem poscentium primum seditioso clamore conterruit: deinde vocare senatum. referre de legatis ad Cn. Marcium mittendis coëgit. Acceperunt relationem pa-

patres, poſtquam apparuit labare plebis animos, miſſique de pace ad Marcium oratores atrox reſponſum retulerunt: *Si Volſcis ager redderetur, poſſe agi de pace: ſi præda belli per otium frui velint, memorem ſe & civium injuriæ, & hoſpitum beneficii, adniſurum, ut appareat, exilio ſibi irritatos, non fractos animos eſſe.* Iterum deinde idem miſſi non recipiuntur in caſtra. Sacerdotes quoque ſuis inſignibus velatos eſſe ſupplices ad caſtra hoſtium, traditum eſt; nihiloque magis quam legatos flexiſſe animum. Tum matronæ ad Veturiam matrem Coriolani, Volumniamque uxorem frequentes coëunt. Id publicum conſilium, an muliebris timor fuerit, parum invenio. Pervicere certe ut & Veturia magno natu mulier, & Volumnia duos parvos ex Marcio ferens filios ſecum, in caſtra hoſtium irent: & quam armis viri defendere urbem non poſſent, mulieres precibus lacrimisque defenderent. Ubi ad caſtra ventum eſt, nunciatumque Coriolano, adeſſe ingens mulierum agmen: primo ut qui nec publica majeſtate in legatis, nec in ſacerdotibus tanta offuſa oculis, animoque religione motus eſſet: multo obſtinacior adverſus lacrimas mulieribus erat. Dein familiarium quidam, qui inſignem mœſtitia, inter ceteras cognoverat Veturiam, inter nurum, nepotesque ſtantem: *Niſi me fruſtrantur*, inquit, *oculi, mater tibi, conjuxque, & liberi adſunt.* Coriolanus prope ut amens conſternatus ab ſede ſua, cum ferret matri obviæ complexum, mulier in iram, ex precibus verſa, *Sine priusquam complexum accipio, ſciam*, inquit

ad hostem, an ad filium venerim; captiva, materne in castris tuis sim. In hoc me longa vitæ & infelix senecta traxit, ut exulem te, deinde hostem viderem? potuisti populari hanc terram, quæ te genuit, atque aluit? non tibi, quamvis infesto animo, & minaci perveneras ingredienti fines, ira cecidit? non cum in conspectu Roma fuit, succurrit, intra illa mœnia domus, ac penates mei sunt; mater, conjux, liberique? Ergo ego nisi peperissem, Roma non oppugnaretur, nisi filium haberem, libera in libera patria mortua essem. Sed ego nihil jam pati, nec tibi turpius, quam nihil miserius possum: nec ut sim miserrima, diu futura sum. De his videris: quos, si pergis aut immatura mors, aut longa servitus manet. Uxor deinde ac liberi amplexi, fletusque ab omni turba mulierum ortus, & comploratio sui patriæque, fregere tandem virum, complexus inde suos, dimittit, ipse retro ab urbe castra movit. Abductis deinde legionibus ex agro Romano, invidia rei oppressum perisse tradunt, alii alio leto. Apud Fabium longe antiquissimum auctorem, usque ad senectutem vixisse eumdem invenio. Refert certe, hanc sæpe eum exacta ætate usurpasse vocem: Multo miserius seni exilium esse. Non inviderunt laudes suas mulieribus viri Romani. Adeo sine obtrectatione gloriæ alienæ vivebatur. Monumento quoque quod esset, templum fortunæ muliebri ædificatum, dedicatumque est.

T. Manlii in parentem pietas.
Livius Decad. I. L. 7.

Q. Servilio Ahala, L. Genucio secundum Coss. dies Manlio dicitur a M. Pomponio tribuno plebis. Acerbitas in delectu, non damno modo civium, sed etiam laceratione corporum lata, partim virgis cæsis, qui ad nomina non respondissent, partim in vincula ductis, invisa erat; & ante omnia invisum ipsum ingenium atrox, cognomenque Imperiosi grave liberæ civitati, ab ostentatione sævitiæ adscitum; quam non magis in alienis, quam in proximis, ac sanguine ipse suo exerceret. Criminique ei tribunus inter cetera dabat, quod filium juvenem nullius probri compertum, extorrem urbe, domo, penatibus, foro, luce, congressu æqualium prohibitum, in opus servile, prope in carcerem, atque in ergastulum dederit: ubi summo loco natus dictatorius juvenis quotidiana miseria disceret, vere imperioso patre se natum esse. At quam ob noxam? quia infacundior sit, & lingua impromptus. Quod naturæ damnum utrum nutriendum patri (si quidquam in eo humani esset) an castigandum, ac vexatione insigne faciendum fuisset? ne mutas quidem bestias minus alere, ac fovere, si quid ex progenie sua parum prosperum sit. At, Hercule, L. Manlium, malum malo augere filii, & tarditatem ingenii insuper premere, & si quid in eo exiguum naturalis vigoris sit, id extinguere vita agresti, & rustico cultu, inter pecudes habendo. Omnium potius his criminationibus, quam ipsius juvenis, irrita-

ritatus eſt animus. Qui contra, ſe quoque parenti cauſam invidiæ atque criminum eſſe ægre paſſus (ut omnes dii hominesque ſcirent, ſe parenti opem latam quam inimicis ejus malle) capit conſilium rudis quidem atque agreſtis animi, & quamquam, non civilis exempli, tamen pietate laudabile. Inſcientibus cunctis cultro ſuccinctus, mane in urbem atque a porta domum confeſtim ad M. Pomponium tribunum pergit: janitori opus eſſe ſibi domino ejus convento extemplo, ait, nunciaret T. Manlium Lucii filium eſſe. Mox introductus (etenim parcitum ira in patrem ſpes erat, aut criminis aliquid novi, aut conſilii ad rem agendam deferre) ſalute accepta, redditaque, eſſe, ait, quæ cum eo agere arbitris remotis velit. Procul inde omnibus abire juſſis, cultrum ſtringit: & ſuper lectum ſtans ferro intento, niſi in quæ ipſe cœpiſſet verba, iuraret, ſe patris ejus accuſandi cauſſa concilium plebis nunquam habiturum, ſe eum extemplo transfixurum minatur. Pavidus tribunus (quippe qui ferrum ante oculos micare, ſe ſolum inermem, illum prævalidum juvenem, & quod haud minus timendum erat, ſtolide ferocem viribus ſuis cerneret) adjurat in quæ adactus eſt verba, & præ ſe deinde tulit, ea vi ſubactum ſe incepto deſtitiſſe; nec perinde ut malluiſſet plebes, ſibi ſuffragii ferendi de tam crudeli, & ſuperbo reo poteſtatem fieri; ita ægre habuit, filium id pro parente auſum: eoque id laudabilius erat, quod animum ejus tanta acerbitas patria nihil a pietate avertiſſet. Itaque non patri modo remiſſa cauſſæ dictio eſt, ſed ipſi etiam ado-

adolescenti ea res honori fuit. Et cum eo anno primum placuisset tribunos militum ad legiones suffragio fieri (nam antea, sicut nunc quos Rufulos vocant, imperatores ipsi faciebant) secundum in sex locis tenuit, nullis domi militiæque ad conciliandam gratiam meritis, ut qui rure, & procul cœtu hominum juventam egisset.

Annibalis per Alpes transitus.
Livius Decad. III. L. 1.

Annibal ab Druentia campestri maxime itinere cum bona pace ad Alpes incolentium ea loca Gallorum pervenit. Tum, quamquam fama prius (quæ incerta in majus vero ferre solet) percepta res erat: tamen ex propinquo visa montium altitudo, nivesque cœlo prope immistæ, tecta informia imposita rupibus, pecora, jumentaque torrida frigore, homines intonsi, & inculti, animalia inanimaque omnia rigentia gelu, cetera visu quam dictu fœdiora, terrorem renovavere. Erigentibus in primos agmen clivos, apparuerunt imminentes, tumulos insidentes, montani: qui si valles occultiores insedissent, coorti in pugnam repente, ingentem fugam stragemque dedissent. Annibal consistere signa jubet: Gallisque ad visenda loca præmissis, postquam comperit transitum ea non esse, castra intra confragosa omnia præruptaque, quam extensissima potest valle, locat. Tum per eosdem Gallos haud sane multum lingua moribusque abhorrentes, cum se immiscuissent colloquiis mon-

tanorum, edoctus interdiu tantum obsideri saltum, nocte in sua quemque dilabi tecta: luce prima subiit tumulos, ut ex aperto atque interdiu viam per angustias facturus. Die deinde, simulando aliud quam quod parabatur, consumpto: cum eodem, quo constiterant, loco castra communissent; ubi primum digressos tumulis montanos, laxatasque sensit custodias, pluribus ignibus quam pro numero manentium in speciem factis, impedimentisque cum equite relictis, & maxima parte peditum, ipse cum expeditis, acerrimo quoque viro, raptim angustias evadit, iisque ipsis tumulis, quos hostes tenuerant, consedit. Prima deinde luce castra mota, & agmen reliquum incedere cœpit. Jam montani signo dato ex castellis ad stationem solitam conveniebant, cum repente conspiciunt alios arce occupata sua, super caput imminentes, alios via transire hostes. Utraque simul objecta res oculis, animis immobiles parumper eos defixit. Deinde ut trepidationem in angustiis, suoque ipsum tumultu Annibalis misceri agmen videre, equis maxime consternatus, quidquid adjecissent ipsi terroris, satis ad perniciem fore rati, perversis rupibus juxta invia, ac devia assueti discurrunt. Tum vero simul ab hostibus, simul ab iniquitate locorum Pœni oppugnabantur; plusque inter ipsos (sibi quoque tendente, ut periculo prius evaderet,) quam cum hostibus certaminis erat. Equi maxime infestum agmen faciebant, qui & clamoribus dissonis, quos nemora etiam repercussæque valles augebant, territi trepidabant; & icti forte, aut vulnerati adeo consternabantur,

ut

ut ſtragem ingentem ſimul hominum ac ſarcinarum omnis generis facerent; multosque turba, cum præcipites præruptæque utrinque anguſtiæ eſſent, in immenſum altitudinis dejecit: quosdam & armatos. Inde ruinæ maximæ modo, jumenta cum oneribus devolvebantur. Quæ quamquam fœda viſu erant, ſtetit parumper tamen Annibal, ac ſuos continuit, ne tumultum ac trepidationem augeret. Deinde poſtquam interrumpi agmen vidit, periculumque eſſe, ne exutum impedimentis exercitum nequidquam incolumem traduxiſſet, decurrit ex ſuperiore loco, & cum impetu ipſo fudiſſet hoſtem, ſuis tumultum auxit. Sed is tumultus momento temporis, poſtquam liberata itinera fuga montanorum erant, ſedatur: nec per otium modo, ſed prope ſilentio mox omnes traducti. Caſtellum inde, quod caput ejus regionis erat, vicosque circumjectos capit, & captivorum pecoribus per triduum exercitum aluit. Et quia nec montanis primo perculſis, nec loco magnopere impediebantur, aliquantum eo triduo viæ confecit. Perventum inde ad frequentem cultioribus alium ut inter montana, populum. Ibi non bello aperto, ſed ſuis artibus, fraude, deinde inſidiis eſt prope circumventus. Magno natu principes caſtellorum oratores ad Pœnum veniunt: alienis malis, utili exemplo doctos, memorantes: amicitiam malle, quam vim experiri Pœnorum. Itaque obedienter imperata facturos; commeatum, itinerisque duces, & ad fidem promiſſorum obſides acciperet. Annibal nec temere credendo, nec aſpernando, ne repudiati aperte hoſtes fierent, be-

nige cum respondiſſet, obſidibus, quos dabant, acceptis, & commeatu, quem in viam ipſi detulerant uſus, nequaquam, ut inter pacatos, in compoſito agmine duces eorum ſequitur. Primum agmen elephanti & equites erant, ipſe poſt eum robore peditum circumſpectans ſollicitus omnia, incedebat. Ubi in anguſtiorem viam ex parte altera ſubjectam jugo inſuper imminenti ventum eſt, undique ex inſidiis barbari a fronte, & a tergo coorti, cominus eminusque petunt: ſaxa ingentia in agmen devolvunt. Maxima ab tergo vis hominum urgebat in eos verſa peditum acies haud dubium fecit, quin, niſi firmata extrema agmina fuiſſent, ingens in eo ſaltu accipienda clades fuerit. Tunc quoque ad extremum periculi, ac prope perniciem ventum eſt. Nam dum cunctaretur Annibal dimittere in anguſtias agmen, quia non, ut ipſe equitibus præſidio erat, ita peditibus quidquam ab tergo auxilii reliquerat; occurſantes per obliqua montani, perrupto medio agmine viam inſedere: noxque una Annibal ſine equitibus, ac impedimentis acta eſt. Poſtero die jam ſegnius intercurſantibus barbaris, juncta copiæ, ſaltusque haud ſine clade (majore tamen jumentorum quam hominum pernicie) ſuperatus. Inde montani pauciores jam, & latrocinii magis, quam belli more concurſabant: modo in primum, modo in noviſſimum agmen, ut cuique aut locus opportunitatem daret, aut progreſſi morative aliquam occaſionem feciſſent. Elephanti ſicut præcipites per arctas vias magna mora agebantur, ita tutum ab hoſtibus quacumque in-

cede-

cederent (quia insuetis adeundi propius metus erat) agmen præbebant. Nono die in jugum Alpium perventum est, per invia pleraque & errores, quos aut ducentium fraus, aut ubi iis fides non esset, temere initæ valles a conjectantibus, iter faciebant. Biduum in jugis stativa habita; fessisque labore ac pugnando quies data militibus; jumentaque aliquot, quæ prolapsa in rupibus erant, sequendo vestigia agminis, in castra pervenere. Fessis tædio tot malorum, nivis etiam casus, occidente jam sidere Vergiliarum, ingentem terrorem adjecit. Per omnia nive oppleta, cum signis prima luce motis segniter agmen incederet, pigritiaque & desperatio in omnium vultu emineret: prægressus signa Annibal, in promontorio quodam, unde longe, ac late prospectus erat, consistere jussis militibus Italiam ostentat, subjectosque Alpinis montibus Circumpadanos campos: mœniaque eos tum transcendere non Italiæ modo, sed etiam urbis Romæ: cetera plana proclivia fore: uno, aut ad summum altero prælio, arcem & caput Italiæ in manu, ac potestate habituros. Procedere inde agmen cœpit: jam nihil ne hostibus quidem præter parva furta per occasionem tentantibus. Ceterum iter multo, quam in ascensu fuerat (ut pleraque Alpium ab Italia sicut breviora, ita arrectiora sunt) difficilius fuit. Omnis enim ferme via præceps, angusta, lubrica erat: ut neque sustinere se a lapsu possent: nec qui paullulum titubassent, hærere affixi vestigio suo: aliique super alios, & jumenta & homines occiderent. Ventum deinde ad multo

angu-

anguſtiorem rupem, atque ita rectis ſaxis, ut ægre expeditus miles tentabundus, manibusque retinens virgulta, ac ſtirpes circa eminentes, demittere ſeſe poſſet. Natura locus jam ante præceps, recenti lapſu terræ in pedum mille admodum altitudinem abruptus erat. Ibi cum velut ad finem viæ equites conſtitiſſent, miranti Annibali, quæ res moraretur agmen, nuntiatur, rupem inviam eſſe. Digreſſus deinde ipſe ad locum viſendum; haud dubia res viſa, quin per invia circa nec trita antea, quamvis longo ambitu circumduceret agmen. Ea vero via inſuperabilis fuit. Nam cum ſuper veterem nivem intactam nova modicæ altitudinis eſſet: molli, nec præaltæ nivi facile pedes ingredientium inſiſtebant. Ut vero tot hominum, jumentorumque inceſſu dilapſa eſt; per nudam infra glaciem, fluentemque tabem liqueſcentis nivis ingrediebantur. Tetra ibi luctatio erat, ut a lubrica glacie non recipiente veſtigium, & in prono citius pede ſe fallente, & ſeu manibus in aſſurgendo, ſeu genu ſe adjuviſſent; ipſis adminiculis prolapſi, ſi iterum corruiſſent, nec ſtirpes circa radicesve, ad quas pede aut manu quisquam eniti poſſet, erant. Itaque in levi tantum glacie tabidaque nive volutabantur: jumenta ſecabant interdum, etiam tum infirmam ingredientia nivem, & prolapſa jactandis gravius in continendo ungulis, penitus perfringebant: ut pleraque velut pedica capta hærerent indurata, & alta concreta glacie. Tandem nequidquam jumentis atque hominibus fatigatis caſtra in jugo poſita, ægerrime ad id ipſum loco purgato tantum nivis fo-

fodiendum, atque egerendum fuit. Inde at rupem minuendam, per quam unam via esse poterat, milites ducti; cum cædendum esset saxum, arboribus circa immanibus dejectis, detruncatisque struem ingentem lignorum faciunt, eamque (cum & vis venti apta faciendo igni coorta esset) succendunt, ardentiaque saxa infuso aceto putrefaciunt. Ita torridam incendio rupem ferro pandunt, mollitumque anfractibus modicis clivos, ut non jumenta solum, sed elephanti etiam deduci possent. Quatriduum circa rupem consumptum jumenta prope fame absumebantur: eunda enim fere cacumina sunt; & si quid est pabuli, obruunt nives. Inferiores valles apricos quosdem colles habent, rivosque prope silvas; etiam humano cultu dignora loca. Ibi jumenta in pabulum missa, & quies muniendo fessis hominibus dato triduo. Inde ad planum descensum est, etiam locis mollioribus, & accolarum ingeniis. Hoc maxime modo perventum est in Italiam quinto mense a Chartagine nova (ut quidam auctores sunt) quinto decimo die Alpibus superatis.

Romæ post cladem ad Trasymenum consternatio.

Livius Decad. III. L. 2.

Romæ ad primum nuntium cladis ejus cum ingenti terrore ac tumultu concursus in forum populi est factus. Matronæ vagæ per vias, quæ repens clades allata, quæve fortuna exercitus esset, obvios percunctantur. Et cum frequentis concio-

cionis modo turba in comitium & curiam verſa magiſtratus vocaret: tandem haud multo ante ſolis occaſum M. Pomponius prætor, Pugna, inquit, magna victi ſumus. Et quamquam nihil certius ex eo auditum eſt, tamen alius ab alio impleti rumoribus domos referunt: conſulem cum magna parte copiarum cæſum: ſupereſſe paucos, aut fuga paſſim per Hetruriam ſparſos, aut captos ab hoſte. Quot caſus exercitus victi fuerant, tot in curas diſpertiti eorum animi erant, quorum propinqui ſub C. Flaminio Coſ. meruerant, ignorantium quæ cujusque ſuorum fortuna eſſet. Nec quisquam ſatis certum habet, quid aut ſperet, aut timeat. Poſtero, ac deinceps aliquot diebus, ad portas major prope mulierum, quam virorum multitudo ſtetit, aut ſuorum aliquem, aut nuntios de his opperiens: circumfundebanturque obviis ſciſcitantes, neque avelli utique a notis, prius quam ordine omnia inquiſiſſent, poterant. Inde varios vultus digredientium ab nuntiis cerneres, ut quique aut læta, aut triſtia nuntiabantur: gratulantesque aut conſolantes redeuntibus domos circumfuſos Fœminarum præcipue, & gaudia inſignia erant, & luctus. Unam in ipſa porta, ſoſpite filio repente oblato in conſpectu ejus expiraſſe ferunt: alteram, cui mors filii falſo nuntiata erat, mœſtam ſedentem domi, ad primum conſpectum redeuntis filii gaudio nimio exanimatam. Senatum prætores per dies aliquot ab ortu usque ad occidentem ſolem in curia retinent, conſultantes quonam duce, aut quibus copiis reſiſti victoribus Pœnis poſſet.

Anni-

Annibalis a Fabio conclusi mirabile commentum ad evadendum.
Livius Decad. III. Lib. 2.

Inclusus videbatur Annibal, via ad Casilinum obsessa: cum Capua & Samnium, & tantum ab tergo divitum sociorum Romanis commeatus subveheret: Poenus contra intra Formiana saxa, ac Linterni arenas, stagnaque perhorrida situ, hibernaturus esset. Nec Annibalem fefellit suis se artibus peti. Itaque cum per Casilinum evadere non posset, petendique montes, & jugum Calliculae superandum esset: nec ubi Romanus inclusum vallibus agmen aggrederetur, ludibrium oculorum specie terribile ad frustandum hostem commentus, principio noctis furtim succedere ad montes statuit. Fallacis consilii talis apparatus fuit. Faces undique ex agris collectae, fascesque virgarum, atque arida sarmenta praeligantur cornibus boum, quos domitos, indomitosque multos inter ceteram agrestem praedam agebat. At duo millia ferme boum effecta. Asdrubalique negotium datum, ut primis tenebris noctis id armentum accensis cornibus ad montes ageret, maxime si posset, super saltus ab hoste insessos. Primis tenebris silentio mota castra: boves aliquanto ante signa acti. Ubi ad radices montium, viasque angustas ventum est, signum extemplo datur, ut accensis cornibus armenta in adversos concitentur montes: & metus ipse relucentis flammae ex capite, calorque jam ad vivum, ad imaque cornuum adveniens, velut stimulatos fu-

rore agebat boves. Quo repente difcurfu haud fecus quam filvis montibusque accenfis, omnia circum virgulta ardebant capitumque inquietatio excitans flammam, hominum paffim difcurrentium fpeciem praebebat. Qui ad tranfitus faltus infidendos, locati erant, ubi in fummis montibus ac fuper fe quosdam ignes confpexerunt, circumventos fe effe rati, praefidio exceffere, qua minime denfae emicabant flammae, velut tutiffimum iter petentes fumma montium juga. Tum in quosdam boves palantes a fuis gregibus inciderunt: & primo cum procul cernerent, veluti flammas fpirantium miraculo attoniti conftiterunt. Deinde ut humana apparuit fraus, tum vero infidias rati effe, cum multo maximoque ftrepitu concitant fe in fugam, levique armaturae hoftium incurrere. Ceterum mox aequato timore neutros pugnam incipientes ad lucem tenuit. Interea toto agmine Annibal traducto per faltum & quibusdam in ipfo faltu hoftium oppreffis in agro Alifano pofuit caftra.

Annibalis Capuae inter epulas periculum.
Livius Decad. III. L. 3.

Annibal ingreffus urbem fenatum ex templo poftulat, precantibusque inde primoribus Campanorum, ne quid eo die feriae rei gereret, diemque ut ipfe adventu fuo feftum laetus, ac libens celebraret: quamquam praeceps ingenio in iram erat, tamen ne quid in principio negaret, vifenda urbe magnam diei partem confumfit. Diverfitas eft apud

apud Minios Celeres, Stenium, Pacuviumque inclytos nobilitate ac divitiis. Eo Pacuvius Clavius, de quo ante dictum est, princeps factionis ejus: quae attraxerat rem ad Poenos, filium juvenem adduxit, abstractum abs Decii Magi latere, cum quo ferocissime pro Romana societate adversus Punicum foedus steterat: nec eum aut inclinata in partem alteram civitas, aut patria majestas sententia depulerat. Huic tum pater juveni Annibalem deprecando magis quam purgando placavit, victusque patris precibus, lacrimisque etiam ad coenam eum cum patre vocari jussit: cui convivio neminem Campanum, præterquam hospites, Jubelliumque Tauream, insignem bello virum, adhibiturus erat. Coeperunt epulari de die, & convivium non ex more Punico, aut militari disciplina esse, sed ut in civitate, atque etiam domo, diu ad varias omnium voluptatum illecebras instructum. Unus nec dominorum invitatione, nec ipsius interdum Annibalis, Calavii filius Perolla vinci potuit: Ipse valetudinem excusans, patre animi quoque ejus haud mirabilem interturbationem caussante. Solis ferme occasu patrem Calavium ex convivio egressum secutus filius, ubi in secretum (hortus erat posticis aedium partibus) pervenerunt: Consilium, inquit, affero, pater, quo non veniam solum peccati, quod defecimus ad Annibalem, impetraturi ab Romanis: sed in multo majore dignitate & gratia simus Campani, quam unquam fuimus. Cum mirabundus pater, quidnam id esset consilii, quaereret: toga rejecta ab humero, latus succinctum

gladio nudat; jam ego, inquit, ſanguine Annibalis ſanciam Romanum foedus. Te id prius ſcire volui, ſi forte abeſſe, dum facinus patratur, malles. Quae ubi vidit, audivitque ſenex, velut ſi jam agendis, quae audiebat, intereſſet, amens metu: Per ego te, inquit, fili quaecunque jura liberos jungunt parentibus, precor, quaeſoque, ne ante oculos patris facere & pati omnia infanda velis. Paucae horae ſunt, intra quas jurantes per quidquid deorum eſt, dextrae dextras jungentes, fidem obſtrinximus, ut ſacratis de menſis eſſemus; digreſſi ab colloquio, extemplo in eum armemur? Surgis ab hoſpitali menſa, ad quam tertius Campanorum adhibitus ab Annibale es. Vis eam ipſam menſam cruentare hoſpitis ſanguine? Annibalem modo pater filio meo potui placare, filium Annibali non poſſum? Sed ſit nihil ſancti, non fides, non religio, non pietas; audeantur infanda, ſi non perniciem nobis cum ſcelere afferunt. Unus aggreſſus es Annibalem. Quid illa turba tot liberorum ſervorumque? quid in unum intenti omnium oculi? quid tot dextrae? torpeſcentne in amentia illa? Vultum ipſius Annibalis, quem armati exercitus ſuſtinere nequeunt, quem horret populus Romanus, tu ſuſtinebis? Etſi alia auxilia deſint, me ipſum ferire corpus meum opponentem pro corpore Annibalis ſuſtinebis? Atqui per meum pectus petendus ille tibi, transfigendusque eſt. Deterreri hic ſine te potius, quam illic vinci. Valeant preces apud te meae, ſicut pro te hodie valuerunt. Lacrymantem inde juvenem cernens, medium complectitur, atque oſculo hae-

haerens non ante precibus abſtitit, quam pervicit, ut gladium poneret, fidemque daret, nihil factu-rum tale. Tum juvenis: Ego quidem, inquit, quam patri debeo pietatem, exſolvam patri. Tuam doleo vicem, cui ter proditae patriae ſuſtinendum eſt crimen: ſemel, cum defectionis ab Romanis: iterum, cum pacis cum Annibale fuiſti auctor; tertio hodie, cum reſtituendae Romanis Capuae mora, atque impedimentum es. Tu, patria, ferrum, quo pro te armatus hanc arcem defendere volebam, hoſti minime parcens, quando parens extorquet, recipe. Haec cum dixiſſet, gladium in publicum trans maceriam horti abjecit, & quo minus res ſuſpecta eſſet, ſe ipſe convivio reddidit.

DESCRIPTIONES.

Romae turbatio ob conjurationem Catilinae.

Salluſtius Bell. Catilin.

Decrevere (Magiſtratus), ut Romae per totam urbem vigiliae haberentur, eisque minores magiſtratus praeeſſent. Quibus rebus permota civitas, atque immutata facies urbis erat: ex ſumma laetitia, atque laſcivia, quae diuturna quies pepererat, repente omnes triſtitia invaſit. Feſtinare, trepidare, neque loco, neque homini cuiquam ſatis credere: neque bellum gerere, neque pacem habere: ſuo quisque metu pericula metiri. Ad hoc mulieres, quibus pro reipubl. magnitudine belli timor inſolitus inceſſerat, afflictare ſeſe, manus ſupplices ad coelum tendere; miſerari parvos liberos; rogitare; omnia pavere; ſuperbia, atque deliciis omiſſis ſibi patriaeque diffidere. At Catilinae crudelis animus eadem illa movebat, tametſi praeſidia parabantur, & ipſe lege Plantia interrogatus erat ab L. Paullo: poſtremo, diſſimulandi cauſſa, & quaſi ſui expurgandi, ſicuti jurgio laceſſitus foret, in ſenatum venit. Tum M. Tullius Conſul, ſive praeſentiam ejus timens, ſive ira commotus orationem habuit luculentam, atque utilem reipubl., quam poſtea ſcriptam edidit. Sed ubi ille aſſedit, Catilina, ut erat paratus ad diſſimulanda omnia, demiſſo vultu, voce ſupplici, poſtulare a patribus, ne

ne quid de se temere crederent: ea familia ortum, ita ab adolescentia vitam instituisse, ut omnia bona in spe haberet: ne existimarent: sibi patricio homini, cujus ipsius, atque majorum plurima beneficia in plebem Rom. essent, perdita republ. opus esse, cum eam servaret M. Tullius, inquilinus civis Romae. Ad hoc, maledicta illa cum adderet, obstrepere omnes; hostem, atque parricidam vocare; tum ille furibundus: Quoniam quidem circumventus, (inquit) ab inimicis praeceps agor, incendium meum restinguam. Dein se ex curia domum proripuit, ibi multa secum ipse volens, quod neque insidiae Consuli procedebant, & ab incendio intelligebat urbem vigiliis munitam, optimum factu credens exercitum augere, ac prius, quam legiones scriberentur, multa ante capere, quae bello usui forent, nocte intempesta, cum paucis in Manliana castra profectus est.

Agrippinae iter cum reliquiis Germanici.

Tacitus Annal. L.III. c.1.

Nihil intermissa navigatione Hiberni maris Agrippina Corcyram insulam advehitur, littora Calabriae contra sitam. Illic paucos dies componendo animo insumit, violenta luctu, & nescia tolerandi. Interim adventu ejus audito, intimus quisque amicorum, & plerique militares, ut quique sub Germanico stipendia fecerant, multique etiam ignoti vicinis e municipiis, pars officium in principem rati, plures illos secuti, ruere ad oppidum

Brundiſium; quod navigandi celerrimum fideliſſimumque adpulſu erat. Atque ubi primum ex alto viſa claſſis, complentur non modo portus, & proxima maris, ſed moenia ac tecta, quaque longiſſime proſpectari poterat, moerentium turba, ac rogitantium inter ſe, ſilentione, an voce aliqua egredientem exciperent. Neque ſatis conſtabat, quid pro tempore foret: cum claſſis paullatim ſucceſſit, non alacri, ut adſolet, remigio, ſed cunctis ad triſtitiam compoſitis. Poſtquam duobus cum liberis feralem urnam tenens egreſſa navi defixit oculos, idem omnium gemitus, neque diſcerneres, proximos, alienos, virorum, foeminarumque planctus: niſi quod comitatum Agrippinae longo moerore feſſum, obvii & recentes in dolore anteibant. Miſerat duas praetorias cohortes Caeſar, addito ut magiſtratus Calabriae, Apulique, & Campani, ſupremo erga memoriam filii ſui munera fungerentur. Igitur tribunorum, centurionumque humeris cineres portabantur: praecedebant incomta ſigna, verſi faſces atque ubi colonias transgrederentur, atratae plebes, trabeati equites pro opibus loci, veſtem, odores, aliaque funerum ſolennia cremabant. Etiam quorum diverſa oppida, tamen obvii, & victimas atque aras Diis Manibus ſtatuentes, lacrimis & conclamationibus dolorem teſtabantur. Druſus Terracinam progreſſus eſt cum Claudio fratre, libertisque Germanici, qui in urbe fuerant. Conſules, M. Valerius & M. Aurelius, (jam enim magiſtratum occeperant) & ſenatus, ac magna pars populi viam complevere: disjecti, &, ut cuique libitum, flen-

flentes. Aberat quippe adulatio, gnaris omnibus laetam Tiberio Germanici mortem male diſſimulari, Tiberius atque Auguſta publico abſtinuere, inferius majeſtate ſua rati, ſi palam lamentarentur; an, ne omnium oculis vultum eorum ſcrutantibus, falſi intelligerentur? Matrem Antoniam non apud auctores rerum, non diuturna actorum ſcriptura reperio, ullo inſigni officio functam; cum ſuper Agrippinam, & Druſum, & Claudium, caeteri quoque conſanguinei nominatim perſcripti ſint; ſeu valetudine praepediebatur, ſeu victus luctu animus, magnitudinem mali perferre viſu non toleravit. Facilius crediderim, Tiberio, & Auguſta, qui domo non excedebant, cohibitam; ut par moeror, & matris exemplo avia quoque & patruus attineri viderentur.

Dies, quo reliquae tumulo Auguſti inferebantur, modo per ſilentium faſtus, modo ploratibus inquies, plena urbis itinera, conlucentes per campum Martis faces. Illic miles cum armis ſine inſignibus magiſtratus, populus per tribus, concidiſſe rempublicam, nihil ſpei reliquum clamitabant: promptius, apertiusque, quam ut meminiſſe imperitantium crederes. Nihil tamen Tiberium magis penetravit, quam ſtudia hominum accenſa in Agrippinam: cum decus patriae, ſolum Auguſti ſanguinem, unicum antiquitatis ſpecimen appellarent, verſique ad coelum ac deos, integram illi ſobolem, ac ſuperſtitem iniquorum precarentur. Fuere, qui publici funeris pompam requirerent, compararentque, quae in Druſum patrem Germanici honora & ma-

gnifica Auguſtus feciſſet. Ipſum quippe aſperrimo hiemis, Ticinum uſque progreſſum, neque abſcedentem a corpore ſimul urbem intraviſſe: circumfuſas lecto Claudiorum Juliorumque imagines, defletum in foro, laudatum pro roſtris cuncta a majoribus reperta, aut quae poſteri invenerint, cumulata. At Germanico ne ſolitos quidem, & cuicunque nobili debitos honores, contigiſſe. Sane corpus ob longinquitatem itinerum externis terris quoquo modo crematum: ſed tanto plura decora mox tribui par fuiſſe, quanto prima fors negaviſſet. Non fratrem niſi unius diei via, non patruum ſaltem porta tenus obvium. Ubi illa veterum inſtituta? praepoſitam foro effigiem, meditata ad memoriam virtutis carmina, & laudationes & lacrymas, vel doloris imitamenta? Gnarum id Tiberio fuit; utque premeret vulgi ſermones, monuit edicto; Multos illuſtrium Romanorum ob rempublicam obiiſſe, neminem tam flagranti deſiderio celebratum. Idque & ſibi & cunctis egregium, ſi modus adjiceretur. Non enim eadem decora principibus viris, & imperatori populo, quae modicis domibus, aut civitatibus. Conveniſſe recenti dolore luctum, & ex moerore ſolatia, ſed referendum jam animum ad firmitudinem, ut quondam divus Julius amiſſa unica filia, ut divus Auguſtus ereptis nepotibus, abſtruſerint triſtitiam. Nil opus vetuſtioribus exemplis: quoties populus Romanus clades excercituum, interitum ducum, funditus amiſſas nobiles familias conſtanter tulerit. Principes mortales, rempublicam aeternam eſſe. Proin repeterent ſolennia: & quia

ludo-

ludorum Megalenſium ſpectaculum ſuberat, etiam voluptates reſumerent.

Romæ incendium.

Tacitus Annal. L. XV. c. 38.

Sequitur clades forte an dolo principis, incertum; nam utrumque auctores prodidere: ſed omnibus, quae huic urbi per violentiam ingenium acciderunt, gravior, atque atrocior. Initium in ea parte Circi ortum, quae Palatino Coelioque montibus contigua eſt. Ibi per tabernas, quibus id mercimonium inerat, quo flamma alitur, ſimul coeptus ignis, & ſtatim validus, ac vento citus longitudinem, Circi corripiunt, neque enim domos munimentis ſeptae, vel templa muris cincta, aut quid aliud morae interjacebat. Impetu pervagatum incendium, plana primum, deinde in edita aſſurgens & rurſum inferiora populando, anteiit remedia velocitate mali, & obnoxia urbe arctis itineribus, hucque, & illuc flexis, atque enormibus vicis, qualis vetus Roma fuit. Ad hoc lamenta paventium foeminarum; feſſa, aetate aut rudis pueritiae aetas, quique ſibi, quique aliis conſulebant, dum trahunt invalidos, aut opperiuntur, pars morans, pars feſtinans, cuncta impediebant! & ſaepe dum in tergum reſpectant, lateribus aut fronte circumveniebantur, vel ſi in proxima evaſerant, illis quoque igni correptis etiam quae longinqua crediderant: in eodem caſu reperiebantur. Poſtremo quid vitarent, quid peterent ambigui, complere vias,

ſterni

ſterni per agros quidam amiſſis omnibus fortunis diurni quoque victus, alii caritate ſuorum, quos eripere nequiverant, quamvis patente effugio, interiere. Ne quisquam defendere audebat, crebris multorum minis reſtinguere prohibentium & quia alii palam faces jaciebant, atque eſſe ſibi auctorem vociferabantur; ſive ut raptus licentius exercerent, ſed juſſu. Eo in tempore Nero Antii agens, non ante in urbem regreſſus eſt, quam domui ejus, qua palatium & Maecenatis hortos continuaverat, ignis propinquaret. Neque tamen ſiſti potuit, quin & palatium, & domus, & cuncta circum haurientur.

Tempeſtas.

Virgil. Aeneid. L. I.

Talia flammato ſecum Dea corde volutans.
Nimborum in patriam loca foeta furentibus auſtris,
Aeoliam venit. Hic faſto Rex Aeolus antro
Luctantes ventos, tempeſtatesque ſonoras
Imperio premit, ac vinclis, & carcere froenat.
Illi indignantes, magno cum murmure, montis
Circum clauſtra fremunt. Celſa ſedit Aeolus arce,
Sceptra tenens: mollitque animos, & temperat iras:
Ni faciat; maria, ac terras coelumque profundum
Quippe ferant rapidi ſecum, verrantque per auras.
Sed Pater omnipotens ſpeluncis abdidit atris,
Hoc metuens: molemque, & montes inſuper altos
Impoſuit; Regemque dedit, qui foedere certo
Et premere, & laxas ſciret dare juſſus habenas.

Ad

Ad quem tum Juno ſupplex his vocibus uſa eſt:
Aeole, (namque tibi Divum Pater, atque hominum Rex,
Et mulcere dedit fluctus, & tollere ventos)
Gens inimica mihi Tyrrhenum navigat aequor:
Ilium in Italiam portans, victosque Penates:
Incute vim ventis, ſubmerſasque obrue puppes;
Aut age diverſas, & disjice corpora ponto.
Sunt mihi bis ſeptem praeſtanti corpore Nymphae:
Quarum quae forma pulcherrima, Deïopeam
Connubio jungam ſtabili, propriamque dicabo:
Omnes ut tecum meritis pro talibus annos
Exigat: & pulchra faciat te prole parentem.
Aeolus haec contra: Tuus o Regina, quid optes,
Explorare labor: mihi juſſa capeſſere fas eſt.
Tu mihi, quodcunque hoc regni, tua ſceptra Jovemque
Concilias: tu das epulis accumbere Divum,
Nimborumque facis tempeſtatumque potentem.
Haec ubi dicta, cavum converſa cuſpide montem
Impulit in latus: ac venti, velut agmine facto,
Qua data porta, ruunt, & terras turbine perflant:
Incubuere mari, totumque a ſedibus imis
Una Eurusque Notusque ruunt, creberque procellis
Africus: et vaſtos volvunt ad littora fluctus.
Inſequitur clamorque virum ſtridorque rudentum;
Eripiunt ſubito nubes coelumque, diemque
Teucrorum ex oculis. Ponto nox incubat atra.
Intonuere poli, & crebris micat ignibus aether,
Præſentemque viris intentant omnia mortem.
Extemplo Aeneae ſolvuntur frigore membra,
Ingemit, & duplices tendens ad ſidera palmas,
Talia

Talia voce refert: O terque quaterque beati,
Queis ante ora patrum Trojae fub moenibus altis
Contigit oppetere! o Danaum fortiffime gentis,
Tydide: mene Iliacis occumbere campis
Non potuiffe, tuaque animam hanc effundere dextra?
Saevus ubi Aeacidae telo jacet Hector, ubi ingens
Sarpedon: ubi tot Symoïs correpta fub undis
Scuta virum, galeasque; & fortia corpora volvit:
Talia jactanti ftridens Aquilone procella
Velum adverfa ferit, fluctumque ad fidera tollit,
Franguntur remi: tum prora avertit, & undis
Dat latus: infequitur cumulo praeruptus aquae mons.
Hi fummo in fluctu pendent: his unda dehiscens
Terram inter fluctus aperit: furit aeftus arenis.
Tres Notus abreptas in faxa latentia torquet:
Saxa vocant Itali, mediis quae in fluctibus, Aras,
Dorfum immane mari fummo, tres Eurus ab alto
In brevia & fyrtes urget, (miferabile vifu!)
Illiditque vadis, atque agere cingit, arenae.
Unam, quae Lycios, fidumque vehebat Orontem,
Ipfius ante oculos ingens a vertice pontus
In puppim ferit. Excutitur, pronusque magifter
Volvitur in caput; aft illam ter fluctus ibidem
Torquet agens circum, et rapidus vorat aequore vortex.
Apparent rari nantes in gurgite vafto;
Arma virum tabulaeque, & Troïa gaza per undas
Jam validam illonei navem, jam fortis Achatae,
Et qua vectus Abas, & qua grandaevus Alethes,
Vicit hiems: laxis laterum compagibus omnes
Accipiunt inimicum imbrem, rimisque fatiscunt.

ANA-

ANALYSIS
ORATIONIS CICERONIANAE
PRO LEGE MANILIA.

Argumentum.

C. Manilius Tribunusplebis promulgarat legem, qua omnes populi Romani copiae in Asia contra Mithridatem & Tigranem Cn. Pompejo imperatori committerentur. Huic legi reclamarunt plures viri Consulares, præsertim Q. Hortensius & Q. Catulus; Cicero autem valere hanc legem pronunciat & annuente populo evincit.

Oratio haec est in genere diliberativo, an bellum in Asia contra duos Reges, Mithridatem & Tigranem, sit gerendum? & an bello huic Pompejus sit praeficiendus.

Exordium. Ducitur ab Adjunctis loci & Personae:

Loci. Ex Rostris, ex quibus nunquam antea Ciceroni dicere licuit.

Personae. Nunc cum per favorem populi Praetori renunciato ex Rostris dicere licet, omnibus viribus vult respondere fiduciae a populo in se collocatae.

Bene-

Benevolentiam ſibi conciliat, ubi ſe & copiam dicendi beneficio populi attributam & facultatem dicendi multa exercitatione acquiſitam in commodum populi adhibiturum ait.

Attentionem ſibi parat, quando ſe de cauſſa inſolita, ſed ſimul uberrima dicturum ait.

Docilitatem parit, cum breviter, dilucide, ſimpliciterque aſſerit ſe dicturum de Cn. Pompeji ſingulari eximiaque virtute.

Narratio brevis ſubnexa eſt exordio, qua Cicero exponit ſtatum belli Aſiatici.

Propoſitio. Gerendum eſt a populo Romano bellum in Aſia: & huic bello praeficiendus eſt Cn. Pompejus.

partitio. Statim Narratione finita ſubjungitur, diſpeſciturque tota oratio in tres partes, videlicet;

1. de genere belli,
2. de Magnitudine belli,
3. de Imperatore ad hoc bellum deligendo.

Confirmatio. In hac ſecundum ordinem partitionis exequitur orator propoſitionem. Itaque

PARS I. *Bellum Aſiaticum eſt genere ſuo grave & neceſſarium* ſequentibus argumentis ex

loco

loco caussarum finalium desumtis probatur.

a. Agitur de gloria populi Romani.
b. Agitur de salute sociorum.
c. Agitur de vectigalibus maximis.
d. Agitur de fortunis multorum civium.

Argumentatio, qua haec argumenta efferuntur, est syllogismus sequens:

Major. Bellum, in quo agitur 1.) de gloria populi Romani, 2.) de salute sociorum. 3.) de vectigalibus maximis, 4.) de fortunis multorum civium, est necessarium.

Minor. Sed in bello Asiatico agitur 1.) de gloria &c. — 2.) — 3.) — 4.) —

Conclusio. Ergo bellum Asiaticum est necessarium.

Probatio Majoris per se clarae necessaria nulla est.

Probatio Minoris quatuor Enthymematis constat secundum quatuor membra in minori recensita.

1.) *A Contrario*. Summum decus est Romanis non ulci-

 sci

ſci atroces injurias a Mithridate illatas; ergo agitur de gloria Populi Romani.

2.) *Ab Enumeratione.* Ariobarzanes Rex ſocius, & civitates Aſiae ac Graeciae periclitantur; ergo agitur de ſalute ſociorum.

3.) *A Cauſſis* Aſia propter fertilitatem ſuam vectigalia maxima, & maxime etiam neceſſaria ſuppeditat: ergo agitur de vectigalibus maximis.

4.) *Ab Enumeratione.* Multi cives vectigalia conduxerunt; Alii negotiantur in Aſia publice aut privatim; alii collocatas habent pecunias in Aſia; ergo in bello Aſiatico agitur de fortunis multorum civium.

PARS II. *Bellum Aſiaticum eſt magnitudine periculoſum*: quia

a. Hoc bellum conjungunt duo Reges potentiſſimi,

b. Suſcipiunt agitatae nationes.

c. Vi-

c. Victus est Lucullus Imperator, & pulsus vetus exercitus.

Argumentatio, quae argumenta istius partis proponit, sequens Enthymema est:

Anteced. 1.) Hoc bellum conjungunt duo Reges potentissimi, 2.) suscipiunt agitatae nationes, 3.) victus est Lucullus Imperator, & pulsus vetus exercitus.

Conseq. Ergo bellum hoc magnitudine est periculosum.

Antecedentis membra singula illustrantur & amplificantur.

1.) Fuga Mithridatis ex Ponto *illustratur* comparatione fugae, quam Medea itidem ex Ponto cepit. *Amplificatur per incrementum*: Mithridatem ex fuga Tigranes Rex Armenius excepit, confirmavit, erexit, recreavit.

2.) *Amplificatur a caussa.* Nationes metu advenientis in Armeniam Romani exercitus, & formidine despoliandi fani religiosissimi ac locupletissimi concitatae sunt, & se his regibus adjunxerant.

3.) *Amplificatur ab Adjunctis.* Mithridates manu ſua confirmata, adventitiis multorum regum auxiliis ſuffultus, exercitu Romano paullatim ad propria dilabente regnum ſuum recuperavit, & Imperatorem noſtrum fugavit.

PARS III. *Cn. Pompejus eſt optimus Imperator,* quia in illo eſt

a. Scientia rei militaris,
b. Virtus,
c. Auctoritas,
d. Felicitas.

Augumentatio, qua argumenta haec concluduntur, eſt ſyllogiſmus ſequens:

Major. In ſummo Imperatore has quatuor res ineſſe oportet: 1.) Scientiam rei militaris, 2.) Virtutem, 3.) Auctoritatem, 4.) Felicitatem.
Minor. Sed in Pompejo inſunt hae res;
Concluſ. Ergo eſt ſummus Imperator.

Major breviſſime effertur, neque ob certitudinem eget ulla probatione.

Minoris probatio ſuſcipitur per partes

1.) *Ab Enumeratione.* Pompejus per omnes aetates, & per omnia bella exercitatissimus est; igitur nihil usus militaris illum effugere potest.

2.) Iterum *ab Enumeratione*, *Adjunctis*, & *Testimoniis.* Non solae virtutes imperatoriae, sed aliae etiam omnes in Pompejo conspicuae sunt: ergo Virtus est in illo.

3.) *Ab Effectis* & *Enumeratione.* Magna est opinio Pompeji (a) apud populum, qui eum deposcit Imperatorem; (b) magna apud socios exterosque, apud quos ejus adventu caritas annonae diminuta est; (c) apud hostes, a quibus urbes vel deditae, vel legatione receptae: ergo in Pompejo est Auctoritas.

4.) *Ab Effectis.* Maximas res domi militiaeque, terra marique cum ingenti felicitate gessit: ergo est in illo Felicitas.

Confutatio. Q. Catuli & Q. Hortensii allata contra legem Manilii argumenta refellit, & quidem.

 I. Ar-

I. Argumentum Q. Hortensii; *Non uni omnia tribuenda sunt.*

Refutatur praejudicio. Jam enim prius C. Gabinius Tribunuspl. de uno Cn. Pompejo Imperatore contra piratas constituendo, frustra reclamante Hortensio legem promulgavit optato eventu secuto.

II. Argumenta Q. Catuli, quae erant:

a. *In Pompejo tota spes est Romanis; non igitur ad hoc bellum mittendus.*

b. *Est contra exempla & constituta Majorum, ad unum Pompejum deferri omnia.*

Refutantur: a. Pompeji summi hominis vita frui oportet, dum licet.

b. Ad novos casus temporum, novorum consiliorum rationes sunt accommodandae; idque in hoc ipso Pompejo saepius factum.

c. Adjicitur nova praedicatio virtutum Pompeji, praesertim continentiae Asiatico bello necessariae.

d. Auctoritate & sententia clarissimorum virorum, Servilii, Curionis, Lentuli, Cassii sententia Manilii stabilitur.

Pero-

Peroratio: Conſtat duobus capitibus:

a. Laudat Manilii legem, & ut in illa tuenda perſeveret, hortatur.

b. Operam ſuam omnem promittit, & non privati alicujus, ſed reipublicae & publici commodi gratia ita ſe ſuadere aſſerit.

ORATIO.

1. Quamquam mihi ſemper frequens conſpectus veſter multo jucundiſſimus, hic autem locus ad agendum ampliſſimus, ad dicendum ornatiſſimus eſt viſus, Quirites: tamen hoc aditu laudis, qui ſemper optimo cuique maxime patuit, non mea me voluntas, ſed meae vitae rationes, ab ineunte aetate ſuſceptae, prohibuerunt. Nam, cum antea per aetatem nondum hujus auctoritatem loci contingere auderem; ſtatueremque, nihil huc, niſi perfectum ingenio, elaboratum induſtria, afferri oportere: omne meum tempus amicorum temporibus transmittendum putavi.

2. Ita neque hic locus vacuus fuit unquam ab iis, qui veſtram cauſſam defenderent: & meus labor, in privatorum periculis caſte integreque verſatus, ex veſtro judicio fructum eſt ampliſſimum conſecutus. Nam cum propter dilationem comitiorum ter Praetor primus centuriis cunctis re-

nuntiatus ſum: facile intellexi, Quirites, & quid de me judicaretis, & quid aliis praeſcriberetis. Nunc, cum & auctoritatis in me tantum ſit, quantum vos honoribus mandandis eſſe voluſtis: & ad agendum facultatis tantum, quantum homini vigilanti ex forenſi uſu prope quotidiana dicendi exercitatio potuit afferre: certe, & ſi quid auctoritatis in me eſt, ea apud vos utar, qui eam mihi dederunt; & ſi quid etiam dicendo conſequi poſſum, iis oſtendam potiſſimum, qui ei quoque rei fructum ſuo judicio tribuendum eſſe cenſuerunt.

3. Atque illud imprimis mihi laetandum jure eſſe video, quod in hac inſolita mihi, ex hoc loco ratione dicendi, cauſſa talis oblata eſt, in qua oratio deeſſe nemini poteſt. Dicendum eſt enim de Cn. Pompeji ſingulari, eximiaque virtute; hujus autem orationis difficilius eſt exitum, quam principium invenire. Itaque non mihi tam copia, quam modus in dicendo quaerendus eſt.

4. Atque ut inde oratio mea proficiſcatur, unde haec omnis cauſſa ducitur: bellum grave, & periculoſum veſtris vectigalibus, atque ſociis a duobus potentiſſimis Regibus infertur, Mithridate & Tigrane; quorum alter relictus, alter laceſſitus, occaſionem ſibi ad occupandam Aſiam oblatam eſſe arbitratur. Equitibus Romanis, honeſtiſſimis viris, afferuntur ex Aſia quotidie litterae, quorum magnae res aguntur, in veſtris vectigalibus exercendis occupatae: qui ad me

pro

pro neceſſitudine, quae mihi eſt cum illo ordine, cauſſam reipublicae, periculaque rerum ſuarum detulerunt.

5. Bithyniae, quae nunc veſtra provincia eſt, vicos exuſtos eſſe complures: regnum Ariobarzanis, quod finitimum eſt veſtris vectigalibus, totum eſſe in hoſtium poteſtate; Lucullum, magnis rebus geſtis, ab eo bello diſcedere: huic qui ſuccurrerit, non ſatis eſſe paratum ad tantum bellum adminiſtrandum: unum ab omnibus ſociis, & civibus ad id bellum imperatorem depoſci, atque expeti, eumdem hunc unum ab hoſtibus metui, praeterea neminem.

6. Cauſſa quae ſit, videtis; nunc, quid agendum ſit, conſiderate. Primum mihi videtur de genere belli, deinde de magnitudine, tum de imperatore deligendo eſſe dicendum. Genus eſt enim hujusmodi, quod maxime veſtros animos excitare, atque inflammare debet: in quo agitur populi Romani gloria; quae vobis a Majoribus, cum magna in rebus omnibus, tum ſumma in re militari, tradita eſt; agitur ſalus ſociorum, atque amicorum; pro qua multa Majores veſtri magna, & gravia bella geſſerunt: aguntur certiſſima populi Romani vectigalia, & maxima; quibus amiſſis, & pacis ornamenta, & ſubſidia belli requiretis, aguntur bona multorum civium, quibus eſt & a vobis, & a moderatoribus reipublicae conſulendum.

7. Et quoniam ſemper appetentes gloriae praeter ceteras gentes, atque avidi laudis fuiſtis: delenda eſt vobis illa macula, Mithridatico bello ſuperiore ſuſcepta, quae penitus jam inſedit, atque inveteravit in populi Romani nomine: quod is, qui una die, tota Aſia, tot in civitatibus, uno nuntio, atque una litterarum ſignificatione cives Romanos necandos, trucidandosque denotavit, non modo adhuc poenam nullam, ſuo dignam ſcelere ſuſcepit, ſed ab illo tempore annum jam tertium, & viceſimum regnat; & ita regnat, ut ſe non Ponto, neque Cappadociae latebris occultare velit, ſed emergere e patrio regno, atque in veſtris vectigalibus, hoc eſt, in Aſiae luce verſari.

8. Etenim adhuc ita veſtri cum illo rege contenderunt imperatores, ut ab illo inſignia victoriae, non victoriam reportarint. Triumphavit L. Sylla, triumphavit L. Muraena de Mithridate, duo fortiſſimi viri, & ſummi Imperatores: ſed ita triumpharunt, ut ille pulſus, ſuperatusque regnaret. Verumtamen illis imperatoribus laus eſt tribuenda, quod egerunt; venia danda, quod reliquerunt; propterea quod ab eo bello Syllam in Italiam respublica, Muraenam Sylla revocavit.

9. Mithridates autem omne reliquum tempus, non ad oblivionem veteris belli, ſed ad comparationem novi contulit; qui poſteaquam maximas aedificaſſet ornaſſetque claſſes, exercitusque permagnos, quibuscunque ex gentibus potuiſſet, comparaſ-

raſſet, & ſe Boſphoranis, finitimis ſuis, bellum inferre ſimulaſſet; uſque in Hiſpaniam legatos Ecbatanis miſit ad eos duces, quibuscum tum bellum gerebamus: ut, cum duobus in locis disjunctiſſimis, maximeque diverſis, uno conſilio, ab unis hoſtium copiis, bellum terra marique gereretur, vos ancipiti contentione diſtricti de imperio dimicaretis.

10. Sed tamen alterius partis periculum, Sertorianae, atque Hiſpanienſis, quae multo plus firmamenti ac roboris habebat, Cn. Pompeji divino conſilio, ac ſingulari virtute depulſum eſt: in altera parte ita res a L. Lucullo, ſummo viro, eſt adminiſtrata, ut initia illa geſtarum rerum magna, atque praeclara non felicitati ejus, ſed virtuti; haec autem extrema, quae nuper acciderunt, non culpae, ſed fortunae tribuenda eſſe videantur. Sed de Lucullo dicam alio loco, & ita dicam, Quirites, vt neque vera laus ei detracta oratione noſtra, neque falſa affiċta eſſe videatur.

11. De veſtri imperii dignitate, atque gloria, quoniam, is eſt exorſus orationis meae, videte, quem vobis animum ſuſcipiendum putetis. Majores veſtri ſaepe, mercatoribus, ac naviculatoribus injurioſius tractatis, bella geſſerunt: vos tot civium Rom. millibus, uno nuntio, atque uno tempore necatis, quo tandem animo eſſe debetis? Legati quod erant appellati ſuperbius, Corinthum patres veſtri, totius, Graeciae lumen, ex-

extinctum esse voluerunt: vos eum Regem inultum esse patiemini, qui legatum populi Romani, consularem, vinculis, ac verberibus, atque omni supplicio excruciatum necavit? Illi libertatem civium Romanorum imminutam non tulerunt: vos vitam ereptam negligetis? Jus legationis verbo violatum illi persecuti sunt. vos legatum populi Romani, omni supplicio interfectum, inultum relinquetis?

12. Videte, ne, ut illis pulcherrimum fuit, tantam vobis imperii gloriam relinquere: sic vobis turpissimum sit, illud, quod accepistis, tueri, & conservare non posse. Quid, quod salus sociorum summum in periculum, ac discrimen vocatur? Regno expulsus est Ariobarzanes Rex, socius populi Romani, atque amicus: imminent duo Reges toti Asiae, non solum vobis inimicissimi, sed etiam vestris sociis, atque amicis: civitates autem omnes, cuncta Asia, atque Graecia. vestrum auxilium expectare propter periculi magnitudinem coguntur; imperatorem a vobis certum deposcere, cum praesertim vos alium miseritis, neque audent, neque se id facere summo sine periculo posse arbitrantur.

13. Vident, & sentiunt hoc idem, quod vos, unum virum esse, in quo summa sint omnia: & eum prope esse; quo etiam carent aegrius; cujus adventu ipso, atque nomine, tametsi ille ad maritimum bellum venerit, tamen impetus hostium repressos esse intelligunt, ac retardatos.

Hi

Hi vos, quoniam libere loqui non licet, tacite rogant, ut ſe quoque, ſicut ceterarum provinciarum ſocios, dignos exiſtimetis, quorum ſalutem tali viro commendetis. Atque hoc etiam magis quam ceteros; quod ejusmodi in provinciam homines cum imperio mittimus, ut, etiamſi ab hoſte defendant, tamen ipſorum adventus in urbes ſociorum non multum ab hoſtili expugnatione differant. Hunc audiebant antea, nunc praeſentem vident, tanta temperantia, tanta manſuetudine, tanta humanitate, ut ii beatiſſimi eſſe videantur, apud quos ille diutiſſime commoratur.

14. Quare ſi propter ſocios, nulla ipſi injuria laceſſiti, Majores veſtri cum Antiocho, cum Philippo, cum Aetoliis, cum Poenis bella geſſerunt: quanto vos ſtudio convenit, injuriis provocatos, ſociorum ſalutem una cum Imperii veſtri dignitate defendere; praeſertim cum de veſtris maximis vectigalibus agatur? Nam ceterarum provinciarum vectigalia, Quirites, tanta ſunt, ut iis ad ipſas provincias tutandas vix contenti eſſe poſſimus: Aſia vero tam opima eſt, & fertilis, ut & ubertate agrorum, & varietate fructuum, & magnitudine paſtionis, & multitudine earum rerum, quae exportantur, facile omnibus terris antecellat. Itaque haec vobis provincia, Quirites, ſi & belli utilitatem, & pacis dignitatem ſuſtinere vultis, non modo a calamitate, ſed etiam a metu calamitatis eſt defendenda.

15. Nam

15. Nam ceteris in rebus, cum venit calamitas, tum detrimentum accipitur; at in vectigalibus non solum adventus mali, sed etiam metus ipse affert calamitatem. Nam cum hostium copiae non longe absunt, etiam si irruptio facta nulla sit, tamen pecora relinquuntur; agricultura deseritur; mercatorum navigatio conquiescit; ita neque ex portu, neque ex decumis, neque ex scriptura vectigal conservari potest. Quare saepe totius anni fructus uno rumore periculi, atque uno belli terrore amittitur.

16. Quo tandem animo esse existimatis aut eos, qui vectigalia vobis pensitant; aut eos, qui exercent, atque exigunt: cum duo Reges cum maximis copiis prope absint? cum una excursio equitatus perbrevi tempore totius anni vectigal auferre possit? cum publicani familias maximas, quas in salinis habent, quas in agris, quas in portubus, atque custodiis, magno periculo se habere arbitrentur? Putatisne, vos illis rebus frui posse, nisi eos, qui vobis fructuosi sunt, conservaveritis, non solum (ut antea dixi) calamitate, sed etiam calamitatis formidine liberatos?

17. Ac ne illud quidem vobis negligendum est, quod mihi ego extremum proposueram, cum essem de belli genere dicturus, quod ad multorum bona civium Romanorum pertinet, quorum pro vestra sapientia, Quirites, habenda est ratio deligenter. Nam & publicani, homines & hone-

honeſtiſſimi, & ornatiſſimi, ſuas rationes & copias in illam provinciam contulerunt: quorum ipſorum per ſe res, & fortunae curae vobis eſſe debent. Etenim ſi vectigalia nervos eſſe reipublicae ſemper duximus, eum certe ordinem, qui exercet illa, firmamentum ceterorum ordinum recte eſſe dicemus.

18. Deinde ceteris ex ordinibus homines gravi & induſtrii partim in Aſia negotiantur, quibus vos abſentibus conſulere debetis; partim ſuas, & ſuorum in ea provincia pecunias magnas collocatas habent. Erit igitur humanitatis veſtrae, magnum eorum civium numerum calamitate prohibere; ſapientiae, videre, multorum civium calamitatem a republica ſejunctam eſſe non poſſe. Etenim illud primum parvi refert, vos publicanis amiſſa vectigalia poſtea victoria recuperare: neque enim iisdem redimendi facultas erit, propter calamitatem; neque aliis voluntas, propter timorem.

19. Deinde, quod nos eadem Aſia, atque idem iſte Mithridates initio belli Aſiatici docuit, id quidem certe calamitate docti memoria retinere debemus. Nam tum, cum in Aſia res magnas permulti amiſerunt, ſcimus Romae, ſolutione impedita, fidem concidiſſe. Non enim poſſunt una in civitate multi rem, atque fortunas amittere, ut non plures ſecum in eamdem calamitatem trahant. A quo periculo prohibete rempublicam, & mihi credite, id quod ipſi videtis:

tis: haec fides, atque haec ratio pecuniarum, quae Romae, quae in foro verfatur, implicita eft cum illis pecuniis Afiaticis, & cohaeret: ruere illa non poffunt, ut haec non eodem labefactata motu concidant. Quare videte, num dubitandum vobis fit, omni ftudio ad id bellum incumbere, in quo gloria nominis veftri, falus fociorum, vectigalia maxima, fortunae plurimorum civium cum republica defenduntur.

20. Quoniam de genere belli dixi, nunc de magnitudine pauca dicam. Poteft enim hoc dici: belli genus ita effe neceffarium, ut fit gerendum; non effe ita magnum, ut fit pertimefcendum. In quo maxime laborandum eft, ne forte a vobis, quae diligentiffime providenda funt, contemnenda effe videantur. Atque ut omnes intelligant, me L. Lucullo tantum impertiri laudis, quantum forti viro, & fapientiffimo homini, & magno imperatori debeatur: dico, ejus adventu maximas Mithridatis copias, omnibus rebus ornatas, atque inftructas, effe deletas; urbemque Afiae clariffimam, nobisque amiciffimam, Cyzicenorum, obfeffam ab ipfo Rege maxima multitudine, & oppugnatam vehementiffime, L. Luculli virtute, affiduitate, confilio, fummis obfidionis periculis liberatam: ab eodam imperatore claffem magnam, & ornatam, quae ducibus Sertorianis ad Italiam ftudio inflammato raperetur, fuperatam effe, atque depreffam: magnas hoftium praeterea copias multis proeliis effe

dele-

deletas; patefactumque nostris legionibus esse Pontum, qui ante populo Romano ex omni aditu clausus esset: Sinopen, atque Amisum, quibus in oppidis erant domicilia Regis, omnibus rebus ornata atque referta, ceterasque urbes Ponti, & Cappadociae permultas uno aditu atque adventu esse captas: Regem spoliatum regno patrio, atque avito, ad alios se Reges, atque alias gentes supplicem contulisse; atque haec omnia, salvis populi Romani sociis, atque integris vectigalibus, esse gesta. Satis opinor hoc esse laudis: atque ita, Quirites, ut hoc vos intelligatis, a nullo istorum, qui huic obtrectant legi, atque caussae, L. Lucullum similiter ex hoc loco esse laudatum.

21. Requiretur fortasse nunc, quemadmodum, cum haec ita sint, reliquum possit esse magnum bellum. Cognoscite, Quirites: non enim sine caussa quaeri videtur. Primum ex suo regno sic Mithridates profugit, ut ex eodem Ponto Medea illa quondam profugisse dicitur: quam praedicant in fuga fratris sui membra in his locis, qua se parens persequeretur, dissipavisse, ut eorum collectio dispersa, moerorque patrius celeritatem persequendi retardaret. Sic Mithridates fugiens maximam vim auri, atque argenti, pulcherrimarumque rerum omnium, quas & a Majoribus acceperat, & ipse bello superiore ex tota Asia direptas in suum regnum congesserat, in Ponto omnem reliquit. Haec dum nostri colli-

gunt omnia diligentius, Rex ipſe e manibus effugit. Ita illum in perſequendi ſtudio moeror, hos laetitia retardavit.

22. Hunc in illo tempore & fuga Tigranes, Rex Armenius, excepit, diffidentemque rebus ſuis confirmavit, & afflictum erexit perditumque recreavit: cujus in regnum poſteaquam L. Lucullus cum exercitu venit, plures etiam gentes contra imperatorem noſtrum concitatae ſunt. Erat enim metus injectus iis nationibus, quas nunquam populus Romanus neque laceſſendas bello, neque tentandas putavit: erat etiam alia gravis, atque vehemens opinio, quae per animos gentium barbararum pervaſerat, fani locupletiſſimi, & religioſiſſimi diripiendi cauſſa in eas oras noſtrum exercitum eſſe adductum. Ita nationes multae atque magnae novo quodam terrore, ac metu concitabantur. Noſter autem exercitus, etſi urbem ex Tigranis regno ceperat, & proeliis uſus erat ſecundis, tamen nimia longinquitate locorum, ac deſiderio ſuorum commovebatur.

23. Hic jam plura non dicam: fuit enim illud extremum, ut ex iis locis a militibus noſtris reditus magis maturus, quam proceſſus longior quaereretur. Mithridates autem, & ſuam manum jam confirmarat; & eorum, qui ſe ex ejus regno collegerant, & magnis adventitiis multorum Regum & nationum copiis juvabatur. Hoc jam fere ſic fieri ſolere accepimus, ut Regum afflictae

ctae fortunae facile multorum opes alliciant ad misericordiam, maximeque eorum qui aut Reges sunt, aut vivunt in regno: quod regale iis nomen magnum, & sanctum esse videatur.

24. Itaque tantum victus efficere potuit, quantum incolumis nunquam est ausus optare. Nam cum se in regnum recepisset suum, non fuit eo contentus; quod ei praeter spem acciderat, ut illam, posteaquam pulsus erat, terram nunquam attingeret: sed in exercitum vestrum, clarum atque victorem, impetum fecit. Sinite hoc loco Quirites (sicut Poëtae solent, qui res Romanas scribunt) praeterire me nostram calamitatem; quae tanta fuit, ut eam ad aures. L. Luculli non ex proelio nuntius, sed ex sermone rumor afferret.

25. Hic in ipso illo malo, gravissimaque belli offensione L. Lucullus, qui tamen aliqua ex parte iis incommodis mederi fortasse potuisset, vestro jussu coactus, (quod imperii diuturnitati modum statuendum veteri exemplo putavistis), partem militum, qui jam stipendiis confectis erant, dimisit, partem Glabrioni tradidit. Multa praetereo consulto: sed ea vos conjectura perspicitis: quantum illud bellum futurum putetis; quod conjungant Reges potentissimi; renovent agitatae nationes; suscipiant integrae gentes; novus imperator vester accipiat, vetere pulso exercitu.

26. Satis mihi multa verba fecisse videor, quare hoc bellum esset genere ipso necessarium, ma-

gnitudine periculoſum: reſtat, ut de imperatore ad id bellum deligendo ac tantis rebus praeficiendo, dicendum eſſe videatur. Utinam, Quirites, virorum fortium, atque innocentium copiam tantam haberetis, ut haec vobis deliberatio difficilis eſſet, quemnam potiſſimum tantis rebus, ac tanto bello praeficiendum putaretis! Nunc vero, cum ſit unus Cn. Pompejus, qui non modo eorum hominum, qui nunc ſunt, gloriam, ſed etiam antiquitatis memoriam virtute ſuperarit: quae res eſt, quae cujusquam animum in hac cauſa dubium facere poſſit?

27. Ego enim ſic exiſtimo, in ſummo imperatore quatuor has res ineſſe oportere, ſcientiam rei militaris, virtutem, auctoritatem, felicitatem. Quis igitur hoc homine ſcientior unquam aut fuit, aut eſſe debuit? qui e ludo atque pueritiae diſciplina, bello maximo atque accerrimis hoſtibus, ad patris exercitum, atque in militiae diſciplinam profectus eſt? qui extrema pueritia miles fuit ſummi imperatoris? ineunte adoleſcentia maximi ipſe exercitus imperator? qui ſaepius cum hoſte conflixit, quam quisquam cum inimico concertavit? plura bella geſſit, quam ceteri legerunt? plures provincias confecit, quam alii concupiverunt? cujus adoleſcentia ad ſcientiam rei militaris non alienis praeceptis, ſed ſuis imperiis; non offenſionibus belli, ſed victoriis; non ſtipendiis, ſed triumphis eſt erudita? Quod denique genus belli eſſe poteſt, in quo illum non exercuerit fortuna Reipublicae? Civile, Africanum,

num, Transalpinum, Hispaniense mistum ex civitatibus, atque ex bellicosissimis nationibus, servile, navale: varia, & diversa genera, & bellorum, & hostium, non solum gesta ab hoc uno, sed etiam confecta, nullam rem esse declarant in usu militari positam, quae hujus viri scientiam fugere possit.

28. Jam vero virtuti Cn. Pompeji quae potest par oratio inveniri? quid est, quod quisnam aut dignum illo, aut vobis novum, aut cuiquam inauditum possit afferre? Neque enim illae sunt solae virtutes imperatoriae, quae vulgo existimantur, labor in negotiis, fortitudo in periculis, industria in agendo, celeritas in conficiendo, consilium in providendo; quae tanta sunt in hoc uno, quanta in omnibus reliquis imperatoribus, quos aut vidimus, aut audivimus, non fuerunt.

29. Testis est Italia, quam ille ipse victor, L. Sylla, hujus virtute & consilio confessus est liberatam. Testis est Sicilia, quam multis undique cinctam periculis, non terrore belli, sed celeritate consilii explicavit. Testis est Africa, quae magnis oppressa hostium copiis, eorum ipsorum sanguine redundavit. Testis est Gallia, per quam legionibus nostris in Hispaniam iter, Gallorum internecione, patefactum est. Testis est hispania, quae saepissime plurimos hostes ab hoc superatos, postratosque conspexit. Testis est iterum, & saepius Italia, quae, cum servili

bello tetro, periculofoque premeretur, ab hoc auxilium abfente expetivit: quod bellum expectationem Pompeji attenuatum atque imminutum eft, adventu fublatum ac fepultum.

30. Teftes vero jam omnes orae, atque omnes exterae gentes, ac nationes, denique maria omnia, tum univerfa, tum in fingulis oris omnes finus, atque portus. Quis enim toto mari locus per hos annos aut tam firmum habuit praefidium, ut tutus effet; aut tam fuit abditus, ut lateret? Quis navigavit, qui non fe aut mortis, aut fervitutis periculo committeret, cum aut hieme, aut referto praedonum mari navigaretur? Hoc tantum bellum, tam turpe, tam vetus, tam late divifum, atque difperfum quis unquam arbitraretur, aut ab omnibus imperatoribus uno anno aut omnibus annis ab uno imperatore confici poffe? Quam provinciam tenuiftis a praedonibus liberam per hofce annos? quod vectigal vobis tutum fuit? quem focium defendiftis? cui praefidio claffibus veftris fuiftis, quam multas exiftimatis infulas effe defertas? quam multas aut metu relictas, aut a praedonibus captas urbes effe fociorum?

31. Sed quid ego longinqua commemoro? Fuit hoc quondam, fuit proprium populi Romani longe a domo bellare, & propugnaculis imperii fociorum fortunas, non fua tecta defendere. Sociis ego veftris mare claufum per hofce annos dicam fuiffe; cum exercitus noftri Brundufio nun-

nunquam, nisi summa hieme, transmiserint? Qui ad vos ab exteris nationibus venirent, captos querar, cum legati populi Romani retenti sint? Mercatoribus tutum mare non fuisse dicam; cum duodecim secures in praedonum potestatem pervenerint?

32. Cnidum, aut Colophonem, aut Samum, nobilissimas urbes, innumerabilesque alias captas esse commemorem; cum vestros portus, atque eos portus, quibus vitam, & spiritum ducitis, in praedonum fuisse potestate sciatis? An vero ignoratis, portum Cajetae celeberrimum, atque plenissimum navium, inspectante Prætore, a prædonibus esse direptum? ex Miseno autem ejus ipsius liberos, qui cum prædonibus antea ibi bellum gesserat, a prædonibus esse sublatos? Nam quid ego Ostiense incommodum; atque illam labem, atque ignominiam reipublicæ querar; cum, prope inspectantibus vobis, classis ea, cui Consul populi Romani præpositus esset: a praedonibus capta, atque oppressa est? Pro Dii immortales! tantamne unius hominis incredibilis ac divina virtus, tam brevi tempore, lucem afferre reipublicæ potuit, ut vos, qui modo ante ostium Tyberinum classem hostium videbatis, ii nunc nullam intra Oceani ostium prædonum navem esse audiatis?

33. Atque hæc qua celeritate gesta sint, quamquam videtis, tamen a me in dicendo prætereunda non sunt. Quis enim unquam aut obeundi ne-

negotii, aut consequendi quæstus studio, tam brevi tempore, tot loca adire, tantos cursus conficere potuit, quam celeriter, Cn. Pompejo duce belli impetus navigavit? qui nondum tempestivo ad navigandum mari Siciliam classe Africam exploravit; inde Sardiniam cum classe venit atque hæc tria frumentaria subsidia reipublicæ firmissimis præsidiis, classibusque munivit.

34. Inde se cum in Italiam recepisset duabus Hispaniis & Gallia Cisalpina præsidiis, ac navibus confirmata, missis item in oram Illyrici maris, & in Achajam, omnemque Græciam navibus, Italiæ duo maria maximis classibus, firmissimisque præsidiis adornavit; ipse autem, ut a Brundusio profectus est, unde quinquagesimo die totam ad imperium populi Romani Ciliciam adjunxit: omnes, qui ubique prædones fuerunt; partim capti, interfectique sunt: partim unius hujus imperio, ac potestati se dediderunt. Idem Cretensibus, cum ad eum usque in Pamphiliam legatos, deprecatoresque misissent, spem deditionis non ademit, obsidesque imperavit. Ita tantum bellum, tam diuturnum, tam longe lateque dispersum, quo bello omnes gentes ac nationes premebantur, Cn. Pompejus extrema hieme apparavit; ineunte vere suscepit; media æstate confecit.

35. Est hæc divina, atque incredibilis virtus imperatoris. Quid ceteræ, quos paullo ante commemorare cœperam, quantæ, atque quam mul-

tæ

tæ ſunt? Non enim ſolum bellandi virtus in ſummo, atque perfecto imperatore quærenda eſt: ſed multæ ſunt artes eximiæ, hujus adminiſtræ comitesque virtutis. Ac primum, quanta innocentia debent eſſe imperatores! quanta deinde omnibus in rebus temperantia! quanta fide! quanta facilitate! quanto ingenio! quanta humanitate! quæ breviter, qualia ſint in Cn. Pompejo, conſideremus. Summa enim omnia ſunt, Quirites; ſed ea magis ex aliorum contentione, quam ipſa per ſeſe cognoſci, atque intelligi poſſunt.

36. Quem enim poſſumus imperatorem aliquo in numero putare, cujus in exercitu veneant Centuriatus, atque venierint? quid hunc hominem magnum, aut amplum de republica cogitare, qui pecuniam, ex ærario depromtam ad bellum adminiſtrandum, aut propter cupiditatem provinciæ magiſtratibus diviſerit; aut propter avaritiam Romæ in quæſtu reliquerit? Veſtra admurmuratio facit, Quirites, ut agnoſcere videamini, qui hæc fecerint. Ego autem neminem nomino; quare iraſci mihi nemo poterit, niſi qui ante de ſe voluerit confiteri. Itaque propter hanc avaritiam imperatorum quantas calamitates, quocunque ventum ſit, noſtri exercitus ferant, quis ignorat?

37. Itinera, quæ per hosce annos in Italia per agros, atque oppida civium Rom. noſtri imperatores fecerunt, recordamini: tum facilius ſtatuetis

tis, quid apud exteras nationes fieri existimetis. Utrum plures arbitramini per hosce annos militum vestrorum armis hostium urbes, an hibernis, sociorum civitates esse deletas? Neque enim potest exercitum is continere imperator, qui se ipsum non continet; neque severus esse in judicando, qui alios in se severos esse judices non vult.

38. Hic miramur, hunc hominem tantum excellere ceteris, cujus legiones sic in Asiam pervenerunt, ut non modo manus tanti exercitus, sed ne vestigium quidem cuiquam pacato nocuisse dicatur. Jam vero, quemadmodum milites hibernent, quotidie sermones ac litteræ perferuntur; non modo, ut sumtum faciat in militem, nemini vis affertur, sed ne cupienti quidem cuiquam permittitur. Hiemis enim, non avaritiæ perfugium Majores nostri in sociorum, atque amicorum tectis esse voluerunt.

39. Age vero, ceteris in rebus quali sit temperantia, considerate. Unde illam tantam celeritatem, & tam incredibilem cursum inventum putetis? Non enim illum eximia vis remigium, aut ars inaudita quædam gubernandi, aut venti aliqui novi tam celeriter in ultimas terras pertulerunt, sed hæ res, quæ ceteros remorari solent, non retardarunt: non avaritia ab instituto cursu ad prædam aliquam devocavit, non libido ad voluptatem, non amoenitas ad delectationem, non nobilitas urbis ad cognitionem, non denique

que labor ipſe ad quietem. Poſtremo ſigna, & tabulas, ceteraque ornamenta Græcorum oppidorum, quæ ceteri tollenda eſſe arbitrantur, ea ſibi ille ne viſenda quidem exiſtimavit.

40. Itaque omnes quidem nunc in his locis Cn. Pompejum, ſicut aliquem non ex hac urbe miſſum ſed de coelo delapſum, intuentur. Nunc denique incipiunt credere, fuiſſe homines Romanos hac quondam abſtinentia: quod jam nationibus exteris incredibile ac falſo memoriæ proditum videbatur. Nunc imperii noſtri ſplendor illis gentibus lucet: nunc intelligunt, non ſine cauſſa Majores ſuos tum, cum hac temperantia magiſtratus, habeamus, ſervire populo Romano quam imperare aliis maluiſſe. Jam vero ita faciles aditus ad eum privatorum, ita liberæ querimoniæ de aliorum injuriis eſſe dicuntur, ut is qui dignitate principibus excellit, facilitate par infimis eſſe videatur.

41. Jam, quantum conſilio, quantum dicendi gravitate, & copia valeat, in quo ipſo ineſt quædam dignitas imperatoris, vos, Quirites, hoc ipſo in loco ſæpe cognoviſtis. Fidem vero ejus inter ſocios quantam exiſtimari putatis, quam hoſtes omnium gentium ſanctiſſimum eſſe judicarint? Humanitate jam tanta eſt, ut difficile dictu ſit, utrum hoſtes magis virtutem ejus pugnantes timuerint, an manſuetudinem victi dilexerint. Et quisquam dubitarit, quin huic tantum bellum hoc transmittendum ſit, qui ad omnia

ve-

vestræ memoriæ bella conficienda divino quodam consilio natus esse videatur?

42. Et quoniam auctoritas multum in bellis quoque administrandis, atque imperio militari valet; certe nemini dubium est, quin ea in re imperator plurimum possit. Vehementer autem pertinere ad bella administranda, quid hostes, quid socii de imperatoribus vestris existiment, quis ignorat; cum sciamus, homines in tantis rebus, ut aut contemnant, aut metuant, aut oderint, aut ament, opinione non minus famæ, quam aliqua certe ratione commoveri? Quod igitur nomen unquam in orbe terrarum clarius fuit? cujus res gestæ pares? de quo homine vos (id quod maxime facit auctoritatem) tanta, & tam præclara judicia fecistis?

43. An vero ullam usquam esse oram tam desertam putatis, quo non illius diei fama pervaserit, cum universus populus Romanus, referto foro, repletisque omnibus templis, ex quibus hic locus conspici potest, unum sibi ad commune omnium gentium bellum Cn. Pompejum imperatorem depoposcit? Itaque, ut plura non dicam, neque aliorum exemplis confirmem, quantum hujus auctoritas valeat in bello; ab eodem Cn. Pompejo omnium rerum egregiarum exempla sumantur: qui quo die a vobis maritimo bello præpositus est imperator; tanta repente vilitas annonæ ex summa inopia, & cari-

ritate rei frumentariæ consecuta est; unius hominis spe & nomine; quantam vix ex summa ubertate agrorum diuturna pax efficere potuisset.

44. Jam vero accepta in Ponto calamitate ex eo prælio, de quo vos paullo ante invitus admonui; cum socii pertimuissent, hostium opes animique crevissent; cum satis firmum præsidium provincia non haberet; amisissetis Asiam, Quirites, nisi ad id ipsum tempus divinitus Cn. Pompejum ad eas regiones fortuna populi Romani attulisset. Hujus adventus & Mithridatem, insolita inflammatum victoria, continuit; & Tigranem magnis copiis minitantem Asiæ, retardavit. Et quisquam dubitabit, quid virtute profecturus sit, qui tantum auctoritate perfecerit? aut quam facile imperio, atque exercitu socios & vectigalia conservaturus sit, qui ipso nomine ac rumore defenderit?

45. Age vero, illa res quantam declarat ejusdem hominis apud hostes populi Romani auctoritatem quod ex locis tam longinquis, tamque diversis, tam brevi tempore omnes una huic se dediderunt? Quod Cretensium legati, cum in eorum insula imperator noster exercitusque esset, ad Cn. Pompejum in ultimas prope terras venerunt: eique se omnes Cretensium civitates dedere velle dixerunt? Quid idem ipse Mithridates nonne ad eundem Pompejum legatum usque in Hispa-

niam

niam misit? eumque Pompejus legatum semper judicavit; ii, quibus semper erat molestum, ad eum potissimum esse missum, speculatorem, quam legatum judicare maluerunt. Potestis igitur jam constituere, Quirites, hanc auctoritatem, multis postea rebus gestis, magnisque vestris judiciis amplificatam, quantum apud illos Reges, quantum apud exteras nationes valituram esse existimetis.

46. Reliquum est, ut de facilitate (quam præstare de se ipso nemo potest; meminisse, & commemorare de altero possumus) sicut æquum est homini de potestate Deorum, timide & pauca dicamus. Ego enim sic existimo: Maximo, Marcello, Scipione, Mario, & ceteris magnis imperatoribus, non solum propter virtutem: sed etiam propter fortunam sæpius imperia mandata atque exercitus esse commissos. Fuit enim profecto quibusdam summis viris quædam ad amplitudinem, & gloriam, & ad res magnas bene gerendas divinitus adjuncta fortuna. De hujus autem hominis felicitate, de quo nunc agimus, hac utar moderatione dicendi, non ut in illius potestate fortunam positam esse dicam; sed ut præterita meminisse, reliqua sperare videamur: ne aut invisa Diis immortalibus oratio nostra; aut ingrata esse videatur.

47. Itaque non sum prædicaturus, Quirites, quantas ille res domi militiæque, terra marique, quanta felicitate gesserit: ut ejus semper voluntatibus non modo cives assenserint, socii obtem-

pe-

peratint, hoſtes, obedierint; ſed etiam venti tempeſtateſque obſecundarint. Hoc breviſſime dicam, neminem unquam tam impudentem fuiſſe, qui a Diis immortalibus tot & tantas res tacitus auderet optare, quot et quantas Dii immortales ad Cn. Pompejum detulerunt. Quod ut illi proprium, ac perpetuum ſit, Quirites, cum communis ſalutis atque Imperii, tum ipſius hominis cauſſa, ſicuti facitis, velle & optare debetis.

48. Quare cum & bellum ita neceſſarium ſit, ut negligi non poſſit: ita magnum, ut accuratiſſime ſit adminiſtrandum: & cum ei imperatorem præficere poſſitis, in quo ſit eximia belli ſcientia, ſingularis virtus, clariſſima auctoritas, egregia fortuna: dubitabitis, Quirites, quin hoc tantum boni, quod a Diis immortalibus oblatum & datum eſt, in rempublicam conſervandam, atque amplificandam conferatis?

49. Quod ſi Romæ Cn. Pompejus privatus eſſet hoc tempore: tamen ad tantum bellum is erat deligendus, atque mittendus. Nunc cum ad ceteras ſummas utilitates hæc quoque opportunitas adjungatur, ut in iis ipſis locis adſit, ut habeat exercitum; ut ab iis, qui habent, accipere ſtatim poſſit, quid exſpectamus? aut cur non ducibus Diis immortalibus, eidem, cui cetera ſumma cum ſalute reipublicæ commiſſa ſunt, hoc quoque bellum regium committimus?

50. At enim vir clariſſimus, amantiſſimus reipublicæ, veſtris beneficiis ampliſſimis affectus, Q.

Ca-

Catulus; itemque ſummis ornamentis honoris, fortunæ, virtutis, ingenii præditus, Q. Hortenſius, ab hac ratione diſſentiunt: quorum ego auctoritatem apud vos multis locis plurimum valuiſſe, & valere oportere confiteor: ſed in hac cauſſa, tametſi cognoſcitis auctoritates, contrarias fortiſſimorum virorum, & clariſſimorum, tamen commiſſis auctoritatibus, ipſa re & ratione exquirere poſſumus veritatem: atque hoc facilius quod ea omnia, quæ adhuc a me dicta ſunt, iidem iſti vera eſſe concedunt: & neceſſarium bellum eſſe, & magnum, & in uno Cn. Pompejo ſumma eſſe omnia.

51. Quid igitur ait Hortenſius? Si uni omnia tribuenda ſunt, unum digniſſimum eſſe Pompejum: ſed ad unum tamen omnia deferri non oportere: Obſolevit jam iſta oratio, re multo magis, quam verbis refutata. Nam te idem, Qninte Hortenſi, multa, pro tua ſumma copia ac ſingulari facultate dicendi, & in ſenatu contra virum fortem A. Gabinium graviter ornateque dixiſti: cum is de uno imperatore contra prædones conſtituendo legem promulgaſſet: & ex hoc ipſo loco permulta item contra legem eam verba feciſti.

52. Quid tum, per Deos immortales, ſi plus apud populum Romanum auctoritas tua, quam ipſius populi Romani ſalus, & vera cauſſa valuiſſet, hodie hanc gloriam, atque hos orbis terræ imperium teneremus? An tibi tum imperium eſſe hoc videbatur, cum populi Romani legati,

gati, prætores, quæstoresque capiebantur? cum ex omnibus provinciis commeatu & privato & publico prohibebamur? cum ita clausa erant nobis omnia maria, ut neque privatam rem maritimam, neque publicam jam obire possemus?

53. Quæ civitas antea unquam fuit; non dico Atheniensum, quæ satis late quondam mare tenuisse dicitur; non Carthaginiensium, qui permultum classe, matrimisque rebus valuerunt; non Rhodiorum, quorum usque ad nostram memoriam disciplina navalis, & gloria remansit: quæ civitas antea unquam tam tenuis, quæ tam parva insula fuit, quæ non portus suos, & agros, & aliquam partem regionis, atque oræ maritimæ per se ipsa defenderet? At hercle aliquot annos continuos ante legem Gabiniam ille populus Romanus, cujus usque ad nostram memoriam nomen invictum in navalibus pugnis permanserat, magna, ac multo maxima parte non modo utilitatis, sed dignitatis, atque imperii caruit.

54. Nos, quorum, Majores Antiochum Regem classe, Persemque superarunt, omnibusque navalibus pugnis Carthaginienses, homines in martimis rebus exercitatissimos paratissimosque, vicerunt; ii nullo in loco jam prædonibus pares esse poteramus. Nos quoque, qui antea non modo Italiam tutam habebamus, sed omnes socios in ultimis oris auctoritate nostri Imperii salvos præstare poteramus; tum, cum insula Delos, tam procul a nobis in Aegeo mari posita, quo omnes undi-

que cum mercibus atque oneribus commeabant, referta divitiis, parva, ſine muro, nihil timebat: idem non modo provinciis, atque oris Italiæ maritimis, ac portubus noſtris, ſed etiam Appia jam via carebamus. Et his temporibus non pudebat magiſtratus populi Romani in hunc ipſum locum adſcendere; cum eum vobis Majores veſtri exuviis nauticis, & claſſium ſpoliis ornatum reliquiſſent.

55. Bono te animo tum, Q. Hortenſi, populus Romanus, & ceteros, qui erant in eadem ſententia, dicere exiſtimavit ea, quæ ſentiebatis: ſed tamen in ſalute communi idem populus Romanus dolori ſuo maluit, quam auctoritati veſtræ obtemperare. Itaque una lex, unus vir, unus annus non modo nos illa miſeria ac turpitudine liberavit, ſed etiam effecit, ut aliquando vere videremur omnibus gentibus, ac nationibus terra marique imperare.

56. Quo mihi etiam indignius videtur obtrectatum eſſe adhuc, Gabinio dicam? anne Pompejo? an utrique? id quod eſt verius: ne legaretur A. Gabinius Cn. Pompejo expetenti, ac poſtulanti. Utrum ille, qui poſtulat legatum ad tantum bellum, quem velit, idoneus non eſt, qui impetret, cum ceteri ad expilandos ſocios, diripiendasque provincias, quas voluerunt, legatos eduxerint? an ipſe, cujus lege ſalus, ac dignitas pupulo Romano, atque omnibus gentibus conſtituta eſt, expers eſſe debet gloriæ ejus impera-

peratoris, atque ejus exercitus, qui consilio ipsius atque periculo est constitutus?

57. An C. Falcidius, Q. Metellus, Q. Cœlius Latiniensis, Cn. Lentulus, quos omnes honoris caussa nomino; cum Tribuni plebis fuissent, anno proximo legati esse potuerunt: in hoc uno Gabinio sunt tam diligentes, qui in hoc bello, quod lege Gabinia geritur, in hoc imperatore, atque exercitu, quem per se ipse constituit, etiam præcipuo jure esse deberet? De quo legando spero Consules ad senatum relaturos: qui si dubitabunt, aut gravabuntur; ego me profiteor relaturum: neque me impedit cujusquam, Quirites, inimicum edictum, quo minus, fretus vobis, vestrum jus beneficiumque defendam: neque, præter intercessionem, quidquam audiam: de qua (ut arbitror) isti ipsi, qui minantur, etiam atque etiam, qui id licet, considerabunt. Mea quidem sententia, Quirites, unus A. Gabinius, belli maritimi rerumque gestarum auctor, comes Cn. Pompejo adscribitur: propterea quod alter uni id bellum suscipiendum vestris suffragiis detulit, alter delatum, susceptumque confecit.

58. Reliquum est, ut de Q. Catuli auctoritate & sententia dicendum esse videatur, qui cum ex vobis quærerent, si in uno Cn. Pompejo omnia poneretis, si quid eo factum esset, in quo spem essetis habituri? cepit magnum suæ virtutis factum, ac dignitatis; cum omnes prope una voce: in eo ipso spem habituros es-

ſe dixiſtis. Etenim talis eſt vir, ut nulla res tanta ſit, ac tam difficilis, quam ille non & conſilio regere, & integritate tueri, & virtute conficere poſſit. Sed in hoc ipſo eo vehementiſſime diſſentio: quod quo minus certa eſt hominum, ac minus diuturna vita, hoc magis respublica, dum per deos immortales licet, frui debet ſummi hominis vita, atque virtute.

59. At enim nihil novi fiat contra exempla, atque inſtituta Majorum. Non dico hoc loco, majores noſtros ſemper in pace conſuetudini, in bello utilitati paruiſſe; ſemper novos caſus temporum, novorum conſiliorum rationes accommodaſſe: non dicam, duo bella maxima, Punicum, & Hiſpanienſe, ab uno imperatore eſſe confecta, duas urbes pòtentiſſimas, quæ huic imperio maxime minabantur, Carthaginem, atque Numantiam, ab eodem Scipione eſſe deletas: non commemorabo, nuper ita vobis, Patribusquè veſtris eſſe viſum, ut in uno C. Mario ſpes Imperii poneretur; ut idem cum Jugurtha, idem cum Cimbris, idem cum Teutonis bellum adminiſtraret.

60. In ipſo Cn. Pompejo, in quo novi conſtitui nihil vult Q. Catulus, quam multa ſint nova, ſumma Catuli voluntate conſtituta, recordamini. Quid enim tam novum, quam adoleſcentulum privatum exercitum difficili reipublicæ tempore conficere? confecit: huic præeſſe? præfuit: rem optime ductu ſuo gerere? geſſit. Quid tam præ-

præter consuetudinem, quam homini peradolescenti, cujus a senatorio gradu ætas longe abesset, imperium atque exercitum dari? Siciliam permitti, atque Africam, bellumque in ea administrandum? Fuit in his provinciis singulari innocentia, gravitate, virtute; bellum in Africa maximum confecit; victorem exercitum deportavit. Quid vero tam inauditum, quam equitem Romanum triumphare? at eam quoque rem populus Rumanus non modo vidit, sed etiam studio omni visendum putavit.

61. Quid tam inusitatum, quam ut, cum duo Consules clarissimi, fortissimique essent, Eques Romanus ad bellum maximum, formidolosissimumque pro consule mitteretur? missus est. Quo quidem tempore, cum esset non nemo in senatu qui diceret, non oportere mitti hominem privatum pro consule; L. Philippus dixisse dicitur: Ne se illum sua sententia pro Consule, sed pro Consulibus mittere. Tanta in eo reipublicæ bene gerendæ spes constituebatur, ut duorum consulum munus unius adolescentis virtute committeretur. Quid tam singulare, quam ut ex senatus consulto legibus solutus, Consul ante fieret, quam ullum alium magistratum per leges capere licuisset? Quid tam incredibile, quam ut iterum Eques Romanus ex S. C. triumpharet? Quæ in omnibus hominibus nova post hominum memoriam constituta sunt, & tam multa non sunt, quam hæc, quæ in uno homine vidimus.

62. Atque hæc tot exempla, tanta ac tam nova profecta ſunt in eundem hominem a Q. Catulo, atque a ceterorum ejusdem dignitatis ampliſſimorum hominum auctoritate. Quare videant, ne ſit periniquum, & non ferendum, illorum auctoritatem de Cn. Pompeji dignitate a vobis comprobatam ſemper eſſe; veſtrum ab illis de eodem homine judicium, populique Romani auctoritatem improbari: præſertim cum jam ſuo jure populus Romanus in hoc homine ſuam auctoritatem vel contra omnes qui diſſentiunt, poſſit defendere: propterea quod iſtis reclamantibus, vos unum illum ex omnibus delegiſtis, quem bello prædonum præponeretis. Hoc ſi vos temere feciſtis, & reipublicæ parum conſuluiſtis: recte iſti ſtudia veſtra ſuis conſiliis regere conantur. Si autem vos plus tum in republica vidiſtis, vos his repugnantibus, per vosmetipſos dignitatem huic imperio, ſalutem orbi terrarum attuliſtis: aliquando iſti principes & ſibi, & ceteris, populi Romani univerſi auctoritati parendum eſſe fateantur.

63. Atque in hoc bello Aſiatico, & Regio non ſolum militaris illa virtus, quae eſt in Cn. Pompejo ſingularis, ſed aliæ quoque virtutes animi multæ, & magnæ requiruntur. Difficile eſt, in Aſia, Cilicia, Syria, regnisque exterarum nationum ita verſari veſtrum imperatorem, ut nihil aliud, quam de hoſte, ac de laude cogitet. Deinde etiam ſi qui ſunt pudore ac temperan-

tia

tia moderatiores: tamen eos esse tales, propter multitudinem cupidorum hominum nemo arbitratur.

64. Difficile est dictu, Quirites, quanto in odio simus apud exteras nationes, propter eorum, quos ad eas per hos annos cum imperio misimus, injurias, ac libidines. Quod enim fanum putatis in illis terris nostris magistratibus religiosum, quam civitatem sanctam, quam domum satis clausam, ac munitam fuisse? Urbes jam locupletes, ac copiosæ requiruntur, quibus causa belli, propter diripendi cupiditatem inferatur.

65. Libenter hæc coram cum Q. Catulo, & Q. Hortensio disputarem, summis, & clarissimis viris, noverunt enim sociorum vulnera: vident eorum calamitates: querimonias audiunt. Pro sociis vos contra hostes exercitum mittere putatis; an hostium simulatione contra socios atque amicos; quæ civitas est in Asia, quæ non modo imperatoris, aut lagati, sed unius tribuni militum animos, ac spiritus capere possit? Quare, etiam si quem habetis, qui collatis signis exercitus regios superare posse videatur, tamen nisi erit idem, qui se a pecuniis sociorum, qui ab eorum conjugibus ac liberis, qui ab ornamentis fanorum, atque oppidorum, qui ab auro, gazaque regia manus, oculos, animum cohibere possit, non erit idoneus, qui ad bellum Asiaticum, regiumque mittatur.

66. Ecquam putatis civitatem pacatam fuiſſe, quæ locuples ſit? ecquam eſſe locupletem, quæ iſtis pacata eſſe videatur? Ora maritima, Quirites, Cn. Pompejum non ſolum propter rei militaris gloriam, ſed etiam propter animi continentiam requiſivit. Videbat enim populus Romanus non locupletari quotannis pecunia publica, præter paucos; neque nos quidquam aliud aſſequi claſſium nomine, niſi ut detrimentis accipiendis majore effici turpitudine videremur. Nunc, qua cupiditate homines in provincias, quibus jacturis, quibus conditionibus proficiſcantur, ignorant videlicet iſti, qui ad unum deferenda eſſe omnia non arbitrantur? quaſi vero Cn. Pompejum non cum ſuis virtutibus, tum etiam alienis vitiis magnum eſſe videamus.

67. Quare nolite dubitare, quin huic uni credatis omnia, qui, inter annos tot, unus inventus ſit, quem ſocii in urbes ſuas cum exercitu veniſſe gaudeant. Quod ſi auctoritatibus hanc cauſſam, Quirites, confirmandam putatis: eſt vobis auctor, vir bellorum omnium, maximarumque rerum peritiſſimus, P. Servilius; cujus tantæ res geſtæ terra marique extiterunt, ut, cum de bello deliberetis, auctor vobis gravior eſſe nemo debeat: eſt C. Curio, ſummis veſtris beneficiis, maximisque rebus geſtis, ſummo ingenio, & prudentia præditus; eſt Cn. Lentulus, in quo omnes, pro ampliſſimis veſtris honoribus, ſummum conſilium, ſummam gravitatem eſſe cognoſcitis: eſt

C. Caſ-

C. Cassius, integritate, virtute, constantia singulari. Quare videte, num horum auctoritatibus illorum orationi, qui dissentiunt, respondere posse videamur.

68. Quæ cum ita sint, C. Manili, primum istam tuam & legem, & voluntatem, & sententiam laudo, vehementissimeque comprobo, deinde te hortor, ut auctore populo Romano, maneas in sententia; neve cujusquam vim, aut minas pertimescas. Primum in te satis esse animi, constantiæque arbitror, deinde cum tantam multitudinem studio adesse videamus, quantam non iterum in eodem homine præficiendo vidimus; quid est, quod aut de re, aut de præficiendi facultate dubitemus? Ego autem, quidquid in me est studii, consilii, laboris, ingenii; quidquid hoc beneficio populi Romani, atque hac potestate prætoria, quidquid auctoritate, fide, constantia possum, id omne ad hanc rem conficiendam tibi, & populo Romano polliceor, & defero.

69. Testorque omnes Deos, & eos maxime, qui huic loco, temploque præsident, qui omnium mentes eorum, qui ad rempublicam adeunt, maxime perspiciunt, me hoc neque rogatu facere cujusquam: neque quo Cn. Pompeji gratiam mihi per hanc caussam conciliari putem; neque quo mihi ex cujusquam amplitudine, aut præsidia periculis, aut adjumenta honoribus quæram; propterea quod pericula facile, aut hominem præ-

ſtare oportet, innocentia tecti pellemus: honores autem neque ab uno, neque ex hoc loco, ſed eadem noſtra illa laborioſiſſima ratione vitæ ſi veſtra voluntas feret, conſequemur.

70. Quamobrem, quidquid in hac cauſſa mihi ſuſceptum eſt, Quirites, omne me reipublicæ cauſſa ſuſcepiſſe confirmo: tantumque abeſt, ut aliquam bonam gratiam mihi quæſiſſe videar; ut multas etiam ſimultates partim obſcuras, partim apertas intelligam, mihi non neceſſarias, vobis non inutiles, ſuſcepiſſe. Sed ego me, hoc honore præditum, tantis veſtris beneficiis affectum, ſtatui, Quirites, veſtram voluntatem, & reipublicæ dignitatem, & ſalutem provinciarum atque ſociorum, meis omnibus commodis, & rationibus præferre oportere.

An=

Anmerkung.

Die Regeln zur Beredsamkeit sind in allen Sprachen die nämlichen: und man lernet sie nicht für die Schule allein, sondern zum Gebrauche des ganzen Lebens. Es würde aber mit dem besten Vorrathe von Regeln ohne die Uibung eine elende Beredsamkeit zu erwarten seyn, und darum ist für unsere Jugend schon von den untersten Klassen an die Ausarbeitung in der Muttersprache stuffenweis veranstaltet. Aus dieser Absicht werden in dieses Schulbuch wieder einige deutsche Musterstücke, eingeschaltet, wodurch die Jünglinge im häufigeren Lesen gereizet und in ihren verschiedenen Beredsamkeitsversuchen geleitet werden mögen. Es ist weder Vorurtheil, weder Nationalstolz, wenn wir die Rede auf Marien Theresien, welche bey uns eine inländische Erzeugniß ist, als ein vorzügliches Muster der ächten deutschen Beredsamkeit vorlegen, für welches sie selbst von ausländischen Kunstrichtern erkannt worden.

Fa-

Fabeln.

Der Wolf und der Schäfer.

Lessings Fabeln. I. Buch 8.

Ein Schäfer hatte durch eine grausame Seuche seine ganze Heerde verloren. Das erfuhr der Wolf, und kam seine Kondolenz abzustatten.

Schäfer sprach er, ist es wahr, daß dich ein so grausames Unglück betroffen? Du bist um deine ganze Heerde gekommen? Die liebe fromme, fette Heerde! Du dauerst mich, und ich möchte blutige Thränen weinen.

Habe Dank, Meister Isegrim; versetzte der Schäfer. Ich sehe du hast ein sehr mitleidiges Herz.

Das hat er auch wirklich, fügte der Schäfers Hilax hinzu, so oft er unter dem Unglücke seines Nächsten selbst leidet.

Die Eule und der Schatzgräber.

Lessings Fabeln. I. Buch. 22.

Jener Schatzgräber war ein sehr unwilliger Mann. er wagte sich in die Ruinen eines alten Raubschlosses, und ward da gewahr, daß die Eule eine magere Maus ergriff, und verzehrte. Schickt sich das, sprach er, für den philosophischen Liebling Minervens.

Warum nicht? versetzte die Eule. Weil ich stille Betrachtungen liebe, kann ich deswegen von der Luft

leben?

leben? Ich weis zwar wohl, daß ihr Menschen es von euren Gelehrten verlanget. — —

Zween ungleiche Brüder.

Aus der deutschen Chrestomathie.

Einst lebten irgendwo zween Brüder, die einander sehr ungleich waren. Der ältere brachte den ganzen Tag zu, mit Spielen, und wilden Herumschwärmen, und kurzum mit nichtswürdigen Zeitvertreiben. Er hörte nicht gern zu, wenn etwas gutes erzählt wurde; das Lesen kam ihm unangenehm, und beschwerlich vor; seine Gedanken richtete er selten auf etwas Nützliches, und hatte fast immer abgeschmackte Dinge im Kopfe.

Der jüngere Bruder las gern in Büchern, hörte aufmerksam zu, wenn ihm etwas erzählet wurde, dachte darüber nach, und machte sich ein Vergnügen daraus, das wieder zu erzählen, was er von seinen Lehrern, oder aus den Büchern gelernet hatte.

Man kann leicht errathen, wie es mit dem einen und mit dem andern geworden seyn müsse.

Als der jüngere eilf Jahr alt war, konnte er so vernünftig denken, und sprechen, daß ihn seine Eltern oft mit sich in Gesellschaft nahmen; theils, ihm ein Vergnügen zu machen, theils, damit er von andern verständigen, und guten Leuten allerley lernen möchte. Denn es giebt Dinge, die man aus Büchern nicht lernen kann: von denen man aber doch nicht eher etwas verstehet, als bis man viel in Büchern gelesen hat.

Mit

Mit seinem ältern Bruder hingegen, der nunmehr dreyzehn Jahr alt, gieng es ganz anders. Wenn Erwachsene mit einander sprachen, so verstand er davon nur wenig, oder gar nichts; noch viel weniger aber konnte er selbst vernünftig und angenehm sprechen. Seine Eltern hätten auch ihn gern in Gesellschaft erwachsener Leute gebracht; allein er wäre da nichts nütze gewesen, und man würde gesagt haben: Was soll doch dieser Knabe hier, mit dem man kein vernünftiges Wort sprechen kann? Jedweder Mensch muß sich zu seines gleichen halten, und er gehöret noch unter die Kinder. Also mußte er zu Hause bleiben.

Das kränkte ihn nicht wenig, und nun nahm er sich den Vorsatz, auf einmal aufmerksam, fleißig, und sittsam zu werden. Weil er aber an die Unachtsamkeit, an das Nichtsthun, und an wildes Herumschwärmen gewohnt war, so wurde ihm sein gutes Unternehmen unfangs ziemlich schwer. Er that sich vielen Zwang an, und doch wollte es ihm nirgend so gelingen, wie er wünschte.

Sein guter Bruder, dem dieses sehr nahe gieng, gab sich alle Mühe, ihm behilflich zu seyn, er wies ihm, wie man es anfangen müßte; er erklärte ihm dieses, und jenes, und machte es ihm leicht, wo er wußte und konnte.

Ernstliche Bemühungen haben allzeit ihre guten Wirkungen. Nachdem der ältere Bruder sich einige Zeit mit munterem Eifer bestrebt hatte, vollkommner zu werden, so kam es endlich dahin, daß er darinnen sein größeres Vergnügen fand. Nichts konnte ihm mehr Freude machen, als wenn er etwas gethan hatte, wor-

über

über seine Eltern, und Lehrer ihre Zufriedenheit bezeigten; und etwas neues zu lernen war ihm viel zu angenehm, als daß er beym Unterrichte hätte unaufmerksam seyn mögen. Kurz, er selbst konnte nunmehr nicht begreifen, wie es ihm ehemals möglich gewesen wäre, ein Vergnügen am Nichtsthun, und an abgeschmackten Zeitvertreiben zu finden. Gleichwohl hatte es ihm den Schaden gethan, daß er seinen jüngern Bruder in manchen Dingen nicht völlig einhohlen konnte; denn er war allzuweit vor ihm voraus.

Es ist hiemit eben, wie mit dem Feldbaue. Wenn man zu rechter Zeit säet, so kann man auch zu rechter Zeit erndten, und reichlich erndten. Säet man aber zu spät, so hat man Miswachs zu erwarten, oder doch weniger, und nicht so schöne Früchte, als man sonst bekommen haben würde.

Der Pelikan.

Lessings Fabeln. I. Buch. 25.

Für wohlgerathene Kinder können Eltern nicht zu viel thun. Aber wenn sich ein blöder Vater für einen ausgearteten Sohn das Blut vom Herzen zapft; dann wird Liebe zur Thorheit.

Ein frommer Pelikan, da er seine Jungen schmachten sah, ritzte sich mit scharfem Schnabel die Brust auf und erquickte sie mit seinem Blute. Ich bewundere deine Zärtlichkeit, rief ihm ein Adler zu, und bejammere deine Blindheit! Sieh doch, wie manchen nichtswürdigen Guguk du unter deinen Jungen mit ausgebrütet hast!

So

So war es auch wirklich; denn auch ihm hatte der kalte Guguk seine Eyer untergeschoben. — Waren es undankbare Guguk werth, daß ihr Leben so theuer erkauft wurde?

Der Fuchs und die Elster.

Gellerts Fabeln und Erzählungen. I. Buch.

Zur Elster sprach der Fuchs: O! wenn ich fragen mag,
Was sprichst du doch den ganzen Tag?
Du sprichst wohl von besondern Dingen?
Die Wahrheit, rief sie, breit ich aus.
Was keines weis heraus zu bringen,
Bring ich durch meinen Fleiß heraus,
Vom Adler bis zur Fledermaus.
Dürft ich, versetzt der Fuchs, mit Bitten dich beschweren:
So wünscht ich mir, etwas von deiner Kunst zu hören.
So, wie ein weiser Arzt, der auf der Bühne steht,
Und seine Künste rühmt, bald vor— bald rückwärts geht,
Sein seidnes Schnupftuch nimmt, sich räuspert, und dann spricht;
So lief die Elster auch den Ast bald auf, bald nieder,
Und strich an einen Zweig den Schnabel hin und wieder,
Und macht ein sehr gelehrt Gesicht.
Drauf fängt sie ernsthaft an, und spricht:
Ich diene gern mit meinen Gaben,
Denn ich behalte nichts für mich.
Nicht wahr, Sie denken doch, daß Sie vier Füße haben?

Allein

Allein, Herr Fuchs, Sie irren sich.
Nur zugehört! Sie werdens finden:
Denn ich beweis es gleich mit Gründen.

Ihr Fuß bewegt sich, wenn er geht,
Und er bewegt sich nicht, so lang er stille steht,
Doch merken Sie, was ich itzt sagen werde,
Denn dieses ist es noch nicht ganz.
So oft ihr Fuß nur geht, so geht er auf der Erde.
Betrachten Sie nur Ihren Schwanz.
Sie sehen, wenn Ihr Fuß sich regt,
Daß auch Ihr Schwanz sich mitbeweget;
Itzt ist Ihr Fuß bald hier, bald dort,
Und so geht auch Ihr Schwanz mit auf der Erde fort,
